a. lat. a. ~~112~~

2117 Valerius

III.

C. VALERII FLACCI

ARGONAVTICON

LIBER OCTAVVS.

NOTIS CRITICIS

EDIDIT

ET

DISSERTATIONEM

DE

VERSIBVS ALIQVOT

P. VIRGIL. MARON. ET C. V. FLACCI

INJVRIA SVSPECTIS

ADJECIT

AUGUSTUS WEICHERT

AA. LL. MAGISTER REGIAE SCHOLAE MISNENSIS PROFESSOR

SEXTVS ET SOCIETATIS LATINAE JENENSIS

SOCIVS HONORARIVS.

MISNAE

IMPENSIS FR. GUIL. GOEDSCHII

MDCCCXVIII.

17 C

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

AMICIS

OPTIMIS CARISSIMIS

FERDINANDO HANDIO

PROFESSORI JENENSI

ET

FRID. AUGUSTO GUIL. SPOHNIO

PROFESSORI LIPSIENSI

SACRVM

ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

VOCALIS

ADDITA

EIVSDEM

INVENTIONE

EIVSDEM

INVENTIONE

PRAEFATIO.

Pauca tantum sunt, quae de hujus libri consilio et ratione, Lectorum ipsorum et mea causa, praefanda esse videantur. Cum mihi, C. Val. Flacci Argonautica interpretanti, versus illi, quos a Baptista Pio, Bononiensi, in aliquot repertos Codicibus, Editores tantum non omnes, tanquam spurios et a male feriato homine confictos, rejecerunt, textu injuria exsulare et ad carminis integritatem pernecessarii esse viderentur; judicii mei rationes peculiari libello evulgare et cum Viris Doctis communicare constitueram, ne postea audaciae et temeritatis poenas darem, si eos, inconsultis aliis, in novae, quam paro, hujus poetae editionis textum intulissem.

Agitanti mihi hoc Fr. G. Goedschius suum obtulit studium seque ad has impensas faciendas promtum paratumque ostendit, si mihi placeret, prolatis consilii mei finibus, quaedam addere, quibus tum spissior evaderet libellus, tum rerum tractatarum diversitate atque amplitudine magis commendaretur. Quamvis non satis praeparatus essem, tamen, ut honestissimi viri rationibus consulerem, excussi mea scrinia et inde depromsi, quae cum priore meo consilio aliquam haberent cognationem ac similitudinem.

Disserui igitur de aliquot Virgilii locis, quos mihi quorundam Interpretum acumen sine idoneis causis suspectos reddidisse et perperam pro

spuriis habuisse videbatur. In quibus vindicandis si cui paulo calidius disputasse videar, illud velim non pravae tribuat alios vellicandi voluntati aut malo gloriolam inde captandi studio, sed honesto indulgeat fervori juvenilis animi, cui amica quidem est clarorum virorum auctoritas, at magis amica veritas. Neque tamen usquam illiberali verborum acerbitate et rusticitate, in qua multi hodie sibi placent, humanitatem ac modestiam violavi, neque in castigandis aliorum erroribus Bellonarium (v. Heynii excurs. III. ad Virg. Georg. IV, p. 645. ed. 3.) egisse mihi videor, sed Criticum lenem suaeque imbecillitatis probe conscium, ita ut eodem, quo alios confutavi, modo ipse in errore deprensus redargui cupiam. Cum vero unusquisque nostrum, *βραχυσίδηρον ἄνοντα πάλλων*, aliquid tantum in commune conferre, non unus omnia complecti queat; laetabor, si me periti harum rerum arbitri unius alteriusve loci Virgiliani patrocinium cum laude suscepisse fateantur. Neque enim vereor, ne sint, qui me in vindicandis, quos magnae viri auctoritatis damnarunt, poetarum versibus operam omnino perdidisse clamitent et stuporem meum vel derideant vel deplorent.

Perinvitus huic Dissertationi textum Libri Argon. octavi praemisi. Sed cum Sosii libellos aversari soleant, qui nihil nisi observationes contineant, quas nemo emat, perinde tanquam quisquilias, ablegandas plerumque in vicum, ut poeta ait, vendentem thus et odores; edidi hunc librum, qui tum ob brevitatem, tum propterea, quod in eo XVI. versus reponendi essent, huic consilio aptissimus videbatur. Nolo tamen hunc librum pro specimine haberi novae editionis. Etenim in Commentario, quem in hoc carmen con-

scripsi, major, uti par est, rerum est habita ratio, quas nunc brevitatis causa omittere placuit. Illum vero, ne nimia mole turgeat et textus in Notis natet, velut cymba in gurgite vasto, ita descripsi, ut loca, quae ob lectionis difficultatem et sensus obscuritatem ampliorem requirant disputationem, in Excursibus, cuique libro subjunctis, tractarem. Interim tamen ex criticis Notis, quas huic libro addidi, cognosci licet, quam viam olim in constituendo textu sim ingressurus. Qua in re hanc mihi legem scripsi, ut Codd. et editt. vett. fidem secutus, antiquas lectiones, ab Interpretibus temere extrusas, restituerem atque defenderem, neque usquam emendationes, vel aliorum vel meo ipsius ingenio repertas, in texta reciperem, nisi ubi manifestissima adessent et certissima corruptionis signa et ipsa medela promta esset ac facilis, et veterem germanamque scripturam assequi videretur. Ad quam intelligendam me attentissima et decies repetita hujus carminis lectione praeparavi, et mirum in modum me ea in re adjuvit diligentissimum Virgilianorum carminum studium.

Quae in Editionibus prostant subsidia critica, iis magna cum cura usus sum. Ab Handio meo accepi collationem cum Codice Coki factam, quam Ferrari Burmanno miserat. Hic tamen eam in prioribus libris negligenter, in posterioribus plane non in usum suum adhibuit. Praeter haec nulla potui anquirere et nancisci subsidia, etsi neque precibus neque impensis peperci: nam in universae Germaniae Bibliothecis unicus tantum, quod sciam, invenitur Monachii Codex, quo tamen jam usus est Adolph Dureau de Lamalle. Sed cum hic Vir, cujus editionem olim in Prolegomenis accuratius describam, Editionem Princ. et alias, quibus mihi quoque uti licuit, admirabili negligentia inspexerit,

nullus dubito, quin ille Codex, optimae notae liber, dignus sit, qui denuo majori accuratione excutiatur. Editionum autem veterum insignem habui copiam. Quo nomine multis verbis mihi praedicanda est humanitas et promtissima meis studiis inserviendi voluntas duumvirorum clarissimorum, *Beigelii* et *Reussii*, quorum ille Regiae Biblioth. Dresdensis, hic Gottingensis thesauros reclusit meque tum aliis libris tum raris Val. Flacci editionibus instruxit. Ex hac diligenti, licet molesta, veterum editionum collatione fructum percepi, qualem prius non speraveram. Nam quo quaeque editio est antiquior, eo verius etiam exhibet poetae manum, quia quilibet Interpres in tam difficili atque corrupto poemate, quaecunque non sui essent stomachi, pro arbitrio mutavit. Id igitur operam dedi, ut Codd. et editt. vett. lectiones revocarem, illustrarem, defenderem et loca manifesto corrupta pro virili emendarem. Fortasse mihi continget esse tam felici, ut assequar id, quod F. A. Wolfius in Proleg. Homer. p. IV. ait: „qui optimis subsidiis vel minime instructus, scriptorem nobis emendatiorem reddit, sive ingenio suo, sive paucorum librorum usu; quamvis vix triginta naevos sustulerit, centum relinquat, eum tamen nemo de bonis literis bene mereri, neget.“

Ceterum omnes, qui mihi meisque studiis favent, humanissimis verbis rogo, ut mihi hunc libellum, bibliopola urguente, festinanti et muneris scholastici officiis districto, sicubi errantem deprenderint, indulgeant benigne, neque me, juvenem adhuc, de literis bene mereri cupidissimum, sua doctrina, auctoritate et consilio adjuvare et incitare dedigneutur. Scripsi Misnae Prid. Calend. Octobr. A. D. MDCCCXVII.

INDEX AUCTORUM

QUI

IN DISSERTATIONE

VEL EXPLICANTUR VEL EMENDANTUR.

Apollonius Rhodius p. 88. 96.

Ennius fragm. p. 61.

Hesiodus p. 69.

Juvenalis p. 99.

Lucanus p. 87. 117. 122. 129. 132.

Lucretius p. 61.

Orpheus p. 69.

Ovidius p. 67. 88. 98. 107. 111.

Plinius p. 55.

Propertius p. 62.

Seneca Trag. p. 99.

Suetonius p. 54. 55. et in Add. p. 148.

Theocritus p. 69. 96.

Valerius Flaccus I, p. 119. II, p. 122. III, p. 110. IV, p. 113. 115. V, p. 127. 128. VI, p. 145. VII, p. 153. 235. VIII, p. 110. 111. 113. 139. 142. 144.

Virgilius Maro Ecl. I, p. 60. Georg. III, p. 68. IV, p. 63. et in Addend. p. 148. Aen. I, p. 67. 68. 97 .II, p. 67. 98. III, p. 65. 76. 77. 80. 82. 83. IV, p. 68. 71. 79. 84. 98. V, p. 68. 76. 92. 98. VI, p. 60. 77. 98. VII, p. 76. 92. VIII, p. 66. 77. 83. 98. IX, p. 60. 66. 67. 77. 78. 96. X. p. 60. 67. 78. 95. 98. 104. XI, p. 78. 79. XII, p. 61. 94.

C. VALERII FLACCI

ARGONAVTICON

LIBER OCTAVVS.

At trepidam in thalamis et jam sua facta pauentem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
Patris habent; nec caerulei timor aequoris vltra,
Nec miserae terra vlla procul; quascumque per vndas
Ferre fugam, quamcumque cupit iam scandere puppim.

NOTAE CRITICAE.

V. 1—5. Pro *facta* malim reponere e Codd. Pii, Reg. et editt. Argent. Gryph. *fata*, sensu id postulante: nam pavemus futura, non praeterita. Sic Medea *fata pavere* dicitur, quae ipsi ob violatam in patrem pietatem amissumque pudorem jam instabant: eam enim *omnes furiaeque minaeque Patris habent*. Probat item N. Heinsius. Frequens est utriusque vocis confusio, ut infr. v. 405. et. v. Intpp. ad Cl. Rutilii Itiner. I, v. 92. et Barth. ad Claudian. I, 29. Vulgatam tamen defendunt Burmann. et Delamall. T. III. p. 322. Verss. sqq. N. Heinsius pro *circa-habent* tentabat, *circum-agunt*. Vtraque vox confunditur v. Tzschucke ad Pomp. Mel. III. 10. p. 357. sed *habere*, ut gr. ἔχειν, est *tenere*, *occupatum tenere*: vid. ad V, 284. et Virg. Aen. XI,

Vltima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
Quosque fugit, complexa toros, crinemque genasque
Ungue per antiqui carpsit vestigia somni,
Atque haec inpresso gemuit miseranda cubili:

357. *Quodsi tantus habet mentes et pectora terror:* et cf. N. Heins. ad Ovid. Heroid. XII, v. 170. Delamallus post *habent* punctum posuit, quod neutiquam probamus. Pius, qui *per undas* dedit, in aliis *per umbram* esse notat: quod tamen in nulla conspexi editione, sed *per umbras*, ut in ed. pr. Bon. Venet. Ita etiam Burm. Cod., in quo *et quacunque capit* legitur. cf. ad II, 412.

v. 8. aestuat in hoc loco C. Barthius Advers. XVIII, c. 15. qui *inviti* pro *antiqui* reposuit; sed somnium a poeta respici, quod libr. V, 334. narratum erat, recte jam Pius monuit. *Antiquus* enim est *praeteritus*, *olim* vel *nuper visus*, ut Burmann. ad h. l. et ad Ovid. Trist. III, 12, r. docet, et *per* est *propter* v. Tursellin. d. Partic. p. 653. ed. Schüz et ita gr. *διὰ*, v. Viger. d. Idiot. gr. ling. p. 580. ed 2. Herm. Ita ap. Sueton Octav. c. 94. *Somnium pristinae noctis* ubi v. Burmann. T. I. p. 455. Quare temere N. Heinsius *per invisi vestigia somni;* idem *carpit* pro *carpsit* inconcinne, quia praeterita praecedunt et sequuntur. Propter somnium igitur nuper visum, cujus Medea cum maxime in toro recordatur et cujus eventum perhorrescit, crinem genasque carpsit *ungue*, quam felicissimam Burmanni correctionem fidenter textui intulimus. Praeclare eam adstruxit leg. XII. tabul. ap. Servium ad Aen. XII. 606. et loco, qui inprimis huc facit, Ovidii Heroid V, 141. ubi pro *ungue capillos* olim *ante capillos* legebatur. Multa addi possent loca, si id opus esset. Stabilit eam Apoll. Rh. III, 671. *ὣ ἕνι κούρη Κέκλιτ' ἀκηχεμένη, δρύψε δ' ἑκάτερθε παρειάς.* Ovid. Amor. III, 6, 47. *Ungue notata genas*, *ungue notata comas*. Est vero, ut constat, hic mos lacerandi genas et capillos (*σκύλμα κόμης*) tum irascentium praecipue in amore, v. Ruhnken. Ep. Crit. I. p. 73. et Burmanni ad Anthol. Latin. T. I. p. 502. tum desperantium et lugentium, v. Kirchmann de Funer. Roman. II, c. 11. p. 194. Etsi Codd. nihil variant h. l. praeter Vatic. I. *ante per anti carpit;* et Ald. *compsit;* tamen ulcus hic latere, certissimum est, cui optime Burmanni correctio medetur. Nemo enim, opinor, approbabit Slothbouweri in Actis Rhen-Traj. T. III. p.

O mihi si profugae genitor nunc ille supremos
Amplexus, Aeeta, dares, fletusque videres
Ecce meos! Ne crede, pater, non carior ille est,
Quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
Tu, precor, haec longae placidus mox sceptra senectae

178. et Delamalli T. III. p. 323. emendationes, quorum ille e Virgil. Aen. V, 7. *Acta per antiqui* etc. correxit, hic, leviori quidem, at inutili ratione, verba *per antiqui* junctim scripsit hoc sensu: *Medée s' arrache les cheveux et les joues, devant ce lit qui lui retraçait son ancien sommeil.* Contorte; contortius etiam Wagner., qui *ante* ad *fugit* retulit et *antequam fugerit, genas crinemque non tam lacerasse quam carpsisse* explicuit. Burmann. v. sq. dubitat, an *cubile imprimere* aeque ac *premere torum, lectum* dici queat, et scribere mavult: *Atque haec in presso.* Nil movendum est; solent enim, inprimis seriores scriptores compositis pro simplicibus vti: de quo dixi ad VI, 563.

v. 10. N. Heinsius *mille* pro *ille* tentabat: male, judice Burmanno, sed neuter sensit hujus loci elegantiam et veritatem in exprimendo animi affectu sitam, quippe quem repentina personae mutatio indicet; nam post *genitor ille* sequi debebat *daret*, sed Medea in eodem orationis membro ad Aeetem verba convertit. Idem exprimit *Ecce*, quo c. N. Heinsio in *Hosce* vel c. Burmanno in *Ire* mutato, vis loci prorsus infringitur. Edit. Venet. *Ipse meos.* Versus 13. in Cod. Bonon. defuit.

v. 14. Ante Carrionem editi *longe* s. *longae - senectae*, et ita cod. Bonon. edit. pr. quam lectionem Barthius Advers. XVIII, c. 15. probat et *in longam senectam* explicat. Burmannus *tuta senectae* junxit, quod admodum displicet. Carrion e vet. Cod, qui non magni est faciendus, primus dedit *longa — senecta*, quem omnes Intpp. secuti sunt. Mihi vulgata verior et doctior videtur ideoque eam reposui. Pendet hic genitivus, quo poetae rationem s. relationem rei ad aliquid exprimere consuescunt, ab adject. *placidus*, ut *grandior aevi* Ovid. Trist. IV, 10, 43. *felix leti* Sil. Ital. IV, 398. et similia, quae collegerunt Burmann ad Ovid. Metam. III, 292. VIII, 384. Cortius ad Sallust Hist. fragm. II. p. 959. Bentlej. ad Horat. II, 16, 26. Oudend. ad Lucan. II, 213. v. VII, 225. Cod. Bonon, *longae placidum — senectae.*

Tuta geras, meliorque tibi sit cetera proles.
Dixit, et Haemonio numquam spernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina cistis,
Virgineosque sinus ipsumque monile venenis
Implicat, ac saeuum super omnibus addidit ensem.
Inde, velut torto Furiarum ejecta flagello
Prosilit; adtonito qualis pede prosilit Ino

v. 16. Temere C. Barthius conjecit *nunquam speranda*, itemque N. Heinsius *nunc adspiranda* vel *non adspernanda*, quod posterius videtur probare Brouckhus. ad Tibull. III, 4, 31. Scripti et editi *prodit*; unus Carrionis codex, pessimi commatis liber, *profert*, quod glossam sapit. Neque opus est *promit*, quod Turnebus Advers. XXIX, c. 4. Jan. Guilielm. Quaest. Misc c. 2. legerunt et Alardus Epiphyll. Philol. II, c. 8. defendit. Vulgatam praeter C. Barthium Advers. XXXIII, c. 12. praeclare vindicavit N. Heinsius ad Ovid. Met. IV, 655. Fastor. V, 508. et Claudian. v. IV. Cons. Honor. v. 643. C. Barthius v. 19. *adjicit* pro *addidit*, not. Heinsio.

v. 20. Dedimus *ejecta* pro *erecta*, qnod insolita verecundia N. Heinsius et Burmann. retinent, textu refragante. Posterior cogitat de Medea e lecto excitata, quem tamen jam dudum deseruerat, medicamina e cistis depromtura. Utinos cum Delamallo scripsimus, suasit jam Pius, Carrion et Delamall. e. Codd. suis probarunt; accedit cod. Coki, quod Burm. non animadvertit. C. Barthius, qui h. l. de trocho e Virg. Aen. VII, 378. explicat, a vero abludit: nam de Furiarum flagello sermo est, quod *tortum* erat non ex funibus lorisque, ut h. l. Burmannus existimat, sed ex anguibus v. J. Vossius ad Catull. Epithol. v. 258. p. 223. et Boettigeri Furienmaske p. 56. Lugd. edit. *evecta* — v. 23. Heinsii Codd. Burm Cod. et Monac. ed. pr. Pii, Junt. *extremum — Isthmo*, unde Heinsius *extremo furit — Isthmo*. *Furit* conj. etiam Balbus. Edit. Bon. Venet. Maser. et aliae *Isthmos*. Columbus *petit - Isthmon* volebat. Maserii et Juntae editio post *conjux* habet distinctionem. Pessime. Vulgatam optime asseruit Burmannus. Turbas hic excitavit forma gr. accusativi *Isthmon*. *Extremum — Isthmon* ut ap. Lucan. I, 194. *extrema tenuit vestigia ripa*.

In freta, nec parui meminit conterrita nati,
Quem tenet; extremum conjux ferit inritus Isthmon.
Jam prior in lucos curis urguentibus heros
Venerat, et nemoris sacra se nocte tegebat,
Tum quoque siderea clarus procul ora juuenta.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra cateruis
Latmius aestiua residet venator in vmbra,
Dignus amore Deae; velatis cornibus et jam
Luna venit; roseo talis per nubila ductor
Inplet honore nemus, talemque exspectat amantem.
Ecce autem pauidae virgo de more columbae,

v. 29. N. Heinsii emendatio *elatis* pro *velatis cornibus* phantasmatis vim et elegantiam debilitat. In sensu loci turpiter se dederunt quidam Intpp. Possit scribi *cornibus et clam Luna venit*, quo Catulli LXVI, s. *furtim*, κρυπταδίως et Luciani D. D. XI. T. I. p. 232. ἀψοφητὶ κατιοῦσα de eadem Dea exprimeretur, sed adversatur elegans usus particularum *et jam*, de quo dixi ad I, 738. Male aliquot Editt. v. 30. *tali*.

v. 32. *Pavidae* recte contra N. Heinsii correctionem *Paphiae* tuetur Burmann., quia illud perpetuum sit columbarum epitheton, idque Apollonius Rhod. III, 541. cf. I, 1049. confirmet. *Super* pro *desuper* Noster centies: idcirco Ezras de Clerq. Observatt. ad Lucan. p. 41. incommode correxit *superurgenti*, qua emendatione loco multum venustatis perit. Vers. 35. Carrion e Cod. dedit *Icta timore*, quod probant N. Heins. et Burm. sqq. omnibus Interpretibus. Ante Carrionem leg. *Acta timore*, idque stabiliunt tres Delam. Codd. et Coki, ignorante Burmanno, et Edit. Pr. Utra sit praeferenda lectio, non diu animi pendebis, consulto sensu et nexu, cui impetuosae fugae notio magis convenit, quam gravis doloris. Igitur veterrimam reposui lectionem, quam firmat Virgil. Aen. X, 62. ubi *regia Juno Acta furore gravi*: ibi eadem loci ratio et lectionis varietas. Ita etiam revocavimus omn. Codd. et editt. lectionem *se misit*, pro qua Heinsius ob VII, 576. *se immisit* ex arbitrio dedit, quem secuti sunt coeco impetu omnes Intpp. Nos Codd. unice auscultamus. Virgil. Aen. IV, 253. *hinc toto praeceps se*

Quae super ingenti circumdata praepetis vmbra
In quemcumque tremens hominem cadit; haud secus illa
Acta timore graui mediam se misit; at ille
Excepit, blandoque prior sic ore loquutus:
O decus in nostros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Causa reperta mihi, jam jam non vlla requiro
Vellera, teque meae satis est vexisse carinae.
Verum age, et hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritisque tuis; namque aurea jussi
Terga referre sumus; socios ea gloria tangit.
Sic ait, et primis subplex dedit oscula palmis.
Contra virgo nouis iterum singultibus orsa est:

corpore ad undas Misit. Etiam v. 39. vitiavit Carrion e Cod. suo, cui tot corruptiones Val. Flaccus acceptas refert. Omn. Codd. et Editt. ante Carrionem *jam jam*, recte et ex usu poetarum; v. Cuningamus in Animadvers. ad Horat. p. 199 sq. et ad IV, 62. Ille *jam nunc* dedit, quod per omn. deinceps editiones propagatum jure exterminavit Delamallus. Aliquot editt. *nonnulla*, solemni lapsu. Idem ille Carrion v. 40. *quaesisse* pro *vexisse* scripsit, reclamantibus omn. scriptis et editis.

v. 41. Editt. Bon. et Ven. *hocce etiam.* N. Heinsius maluit *Verum agito hoc*, sed *et* cum vi ponitur. Vitium typographicum Edit. Burm. *antea jussi* pro *aurea*, quod Harlesius pro sua incuria propagavit, effecit, ut Slothhouwerus in Act. Traj. T. III. p. 182. et Wagner. p. 259., emaculato isto operarum errore, ob egregiam sibi plauderent correctionem. Jam Bipontini illud correxerant. Uterque igitur, qui criticam operam suam huic carmini addixerunt, ne Bipont. quidem, nedum antiquas editiones inspexerant et consuluerant! — Cod. Burm v. 44. *primus.* Vitiose! Intellige τὰ ἄκρα τῶν δακτύλων. v. Catull. II, 3. Edit. Ven. *Sicce ait.*

v. 45. Carrionis Cod. hic recte *virgo novis iterum* pro vitios. *iterum notis.* Ita enim omn. editt. haec verba collocant, neutiquam *notis iterum*, ut Delamall. adnotat. Cod. Vat. *nobis.* v. 47. monet Pius, esse, qui legant *regina vocor*, quod cupide amplectitur Heinsius,

Linquo domos patrias te propter opesque meorum;
Nec jam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
Vota sequor: serva hanc profugae, prior ipse dedisti
Quam (scis nempe) fidem. Di nostris vocibus adsunt,

qui et *regina domo sceptrisque relictis* tentavit. Omnes Codd. adversantur. Optime Burmannus, quem vide. Slothhouwerus l. c. *Fata sequor* correxit, loco non intellecto. Jason Medeae promiserat conjugium v. VII, 502 sq. hoc igitur, quod Jason voverat, sequitur Medea: id docent etiam ea, quae sequuntur. Edit. Venet. *fide* pro *fidem*.

v. 49. Ingenio lusit N. Heinsius conjectans *orsibus*, *ausibus*, *coeptibus*, pro *vocibus*: quo expressus Apollon. Rh. IV, 88. τύνη δε θεοὺς ἐνὶ σοῖσιν ἑταίροις, ξεῖνε, τεῶν μύθων ἐπιΐσορας, οὕς μοι ὑπέσης. Cod. Reg. *adsint*. Edit. Ven. *Sideraque haec*. v. 51. temere Heinsius pro *abactam* maluit *adactam*. Edit. pr. Bon. et Ven. et aliae *referant*. v. 52 omn. Codd. et editt. vett. *ingerar*. Unde venerit *ingerat*, nemo docuit. Ego perscrutandis antiquis V. Flacc. editionibus intellexi, hujus lectionis fontem esse editionem Bonon. III. cum Commentariis Pii 1519. ubi ex operarum errore *ingerat* legitur; hanc vero lectionem esse merum vitium typographicum patet ex Pii nota: „*Ingerar. Abjiciar.*“ Legit igitur Pius *ingerar*, non *ingerat*, nec quidquam de aliqua lectionis varietate habet. Mirari subit, quî operarum error tam multos Intpp. huic vitio κατὰ πόδα inhaerentes ludificari potuerit. Nos sine cunctatione revocavimus veram lectionem *ingerar*, quae etiam a sensu majorem habet commendationem. Cod. Burmanni *hoc scopulos, hoc te quoque — hospes*: quam lectionem e compendio scripturae *scos* ortam esse opinatur, unde alius *superos*, alius *scopulos* fecerit. Utrumque absurdum dicit conjicitque *socios*: quod et mihi valde arridet, nam *deos* v. 49. jam testata erat Medea, et sq. p. *quoque*, videtur indicare, aliquid praecessisse, quod minus sequentibus sit. A sociis, non a diis omnia sibi timenda esse, facile providebat Medea. cf. v. 422. Nihil tamen novare volui. Sine idonea causa C. Barthius Advers. XVIII, c. 15. *hostis* correxit. Libro VII, 13. Medea ait de Jasone: *quid in hospite sol Mens mihi?* et v. 454. *et jam nunc deprecor, hospes, Me sine* etc. Adhaeret autem verbo *hospes* tacita perfidiae ac levitatis exprobratio, sec. Ovid. Heroid.

Sidera et haec te meque vident; tecum aequora, tecum
Experiar quascumque vias; modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies oculisque parentis
Ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.
Haec ait, atque furens rapido per deuia passu
Tollitur. Ille haeret comes, et miseratur euntem,
Quum subito ingentem media inter nubila flammam
Conspicit et saeua vibrantes luce tenebras.
Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus? ait; reddit trepido cui talia virgo:
Ipsius en oculos et lumina torua draconis
Adspicis; ille suis haec vibrat fulgura cristis,
Meque pauens contra solam videt, ac vocat vltro,
Ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
Dic age nunc, vtrum vigilanti hostemque videnti
Exuuias auferre velis, an lumina somno
Mergimus, et domitum potius tibi tradimus anguem?

XVII, 191. *Certus in hospitibus non est amor; errat, ut ipsi.*

v. 54. C. Barthius l. c. *Haec ait, utque furens* correxit; incommode. Pro *euntem* Cod. Vat. Delam. vitiose *urentem*, v. 58. Cod. Bon. *quo tam*, et edit. pr. *refulxit*. v. 62. Heinsius tentabat *meque favens*. Omn. Codd. et editt. usque ad Carrionem, qui *ac vocat* dedit, *advocat* praebent, quod praetulerim, quia, absente copula, vividior evadit oratio. Cod. Vat. Del. *ultra*.

v. 66. Vera haud dubie lectio est *mergimus*, ut Codd. Reg. Bonon. edit. Bonon. praebent, quam post Pium et Maserium tuetur Burmannus et vindicat Markland. ad Stat. Sylvar. III, 2. p. 151. ex Lucret. III, 841. *Adde, quod in nigros lethargi mergitur undas:* contra Heinsium, qui in Advers. p. 163. *vergimus*, et e *mergitur*, ut in ceteris Codd. ed. pr. aliisque est, *vergitur* correxit. Habet illa vox notionem obtegendi, obruendi et claudendi, ut ap. Virgil. Aen. VI, 572. *Sed me fata — His mersere malis* et v. 429. *funere mersit acerbo*. Formula orationis desumta a morte, quae oculos claudens aliquo mergit liquore, unde *lumina morte natantia* ap. poetas. Hoc ad

Ille silet, tantus subiit vt virginis horror.
Jamque manus Colchis crinemque intenderat astris,
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque vnum jubeo nunc ire draconem.
Quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
Fulminaque et toto quidquid micat aethere; sed nunc,
Nunc, age, major ades fratrique simillime leto.
Te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me hic stante dolum? seruabo parumper
Ipsa nemus; longum interea tu pone laborem.
Ille haud Aeolio discedere fessus ab auro,
Nec dare permissae (quamuis juuet) ora quieti

somnum transfertur v. Intpp. ad v. 72. Burmann ad IV, 16. Cod. Reg. ed. Bon et Venet. *subiit tum* scilicet ut metro consuleretur. C. Barthius *subiit vi* pro *ut* correxit, quod Burmanno non displicet, mihi vero admodum frigere videtur. Possit *ubi* emendari, si opus esset. Cod. Burm. *tantos*: N. Heinsius pro sua mutandi prurigine *tacitus*.

v. 68. Cod. Carrion. *circumque intenderat*, unde, si quis velit ingenio ludere, *cirrumq.* conjici possit. N. Heinsius *lumenque* correxit: inconsiderate. Intellige capitis rotationem, quae diffusis crinibus a vatibus fieri solebat, ut I, v. 208. Mopsus *vittamque comamque per auras Surgentem laurusque rotat*. — v. 73. Cod. Monac. *quae flumina*, si tamen Delamallus eum diligenter inspexit; editt. Pii, Maser. Junt. Ald. *fulmina quae*.

v. 77. Variant libri scripti. Vat. I. Heins. *me is tande*. Monac. *meistande dolum*. Bonon. *me tandem*. Carr. Cod. *me stante*. In Burm. Cod. cum lacuna *me his-dolum*. Manum poetae exhibet Regius *me hic stante*, quo etiam Burm. cod. ducit: et idem legi monet Pius. Vulg. *me instante*. Non necessariae Heinsii emendationes, *adstante* vel *obstante*.

v. 80. Radboldus Herrmannus Schelius per literas Heinsium monuit, videri scribendum, *quamvis juvet*, quam correctionem stabilit Harles. collat. Cod. et Vatic. Dela-

Sustinet; at primi percussus nube soporis
Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos:
Contra Tartareis Colchis spumare venenis,

malli. Recepit Heinsius. Recte. Barthius *lubet*, ita et Wagnero placuit. Codd. Bon. Monac. ed. pr. et editt. ceterae usque ad Heinsianam *jubet*. v. 81. fidenter reduximus veterem lectionem *at primi* etc. sensu poscente, etsi edit. Bon. *ac primi* habet. Draco a Medea rogatus, ut quieti se daret, repugnat. Sed, cum nubem primi somni sentiret, horruit etc. Pro *percussus* maluit N. Heinsius *perfusus*, et Wakefield. in Delect. Tragoed. p. 371. *perculsus*: uterque citra necessitatem, et *perculsus* gravius est verbum, quam res postulat: vide de utriusque verbi discrimine Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 1, 98. ed. Bruns. Wakefieldus censet, Nostro praeivisse Homerum Il. XVII. v. 591. τὸν ἀχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα: quod dubito. Vulgatam optime vindicat Heynius ad Tibull. 1. 2. 3. p. 28. T. II. ed. Wunderl. loco Orph. Argon. 36 v. 540. γλυκερῷ βεβολημένος ὕπνῳ. De usu v. *nubes* olim hic disseram. v. 82. obscura verba *excussit ab arbore somnos*, in quibus N. Heinsius, renitentibus libris, *ab corpore* vel *pectore* tentabat, ita videntur esse expedienda, ut tibi fingas Draconem illum arbori, cui affixum erat aureum vellus, corporis mole incubantem eamque spiris amplectentem (v. VII, 168. v. 527.); qui cum arborem soporis nube circumfusam seque pariter ab illa percussum pressumque sentiret, moto corpore et arbore *somnum ab arbore excussisse* dici potest. Paulo aliter Wagnerus, qui draconem fingit somnum eo defendisse, quod corpus moveret et ab arbore in terram serperet, quam interpretationem v. 93. et 110. nequaquam adjuvant; aptius erat laudare VII, 169. *et in somnos ingenti solvat ab orno.*

v. 83. hic versus et tres sequentes aberant a Cod. Burmann. Pro *spumare* male Heinsius *cumulare* vel *sputare*. Vitium edit. Pii typogr. *contraque Lethaei* propagarunt Junt. et Ald. Versus 85. in Cod. Monac. defuit. *Obruit* recte Pius emendavit pro *horruit*, quod omn. Codd. et editt. obsedit, haud dubie e. v. 82. huc translatum. Cod. Bon. vitiose *Vix Stygiam*. N. Heinsii correctio *ardentes — orbes* i. e. oculos minime placet, etsi, quod negari nequit, audacter poeta *iras*

Cunctaque Lethaei quassare silentia rami
Perstat, et aduerso luctantia lumina cantu
Obruit, atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.
Jamque altae cecidere jubae, nutatque coactum
Jam caput, atque ingens extra sua vellera ceruix,
Ceu refluens Padus, aut septem projectus in amnes
Nilus et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum projecta lacertis,

de oculis ira ardentibus posuit. Lib. IV, 3. *ardens ira.* Virgil. Aen. VII, 445. *exarsit in iras.* Cod. Burm. et Coki *occupet*, quod vulgarius. v. 88. Cod. Burm *mutatque.* v. 89. Cod. Harles. *vulnera*, Inepte. Perperam etiam Heinsius *extra sua tergora* nec magis apte *ac vergens* pro *atque ingens. Cervix* pendet a *nutatque* nec supplendum est cum Wagnero *est. Ingens* tuetur περιμήκης δειρὴ Apoll. Rh. IV, 127. et priora idem illustrat v. 150. αὐτὰρ ὅγ', ἤδη οἴμη θελγόμενος δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν γηγενέος σπείρης, μηκύνε δὲ μυρία κύκλα. Optime singula expedivit Burmannus. Graeca forma *Alpheos* unice vera est: v Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 270. Verbum *projectus* videtur Heinsius ideo tantum voluisse mutare in *porrectus*, quia v. 93. eadem vox recurrit: nam ipse ad Virgil. X, 587. h. lectionem prolixe adstruxit, uti h. l. Burmannus. De utriusque vocis confusione et discrimine dixi ad IV, 268. De vocum fastidio repetitarum, quo et Wagnerus h. l. laborat, exponam infra.

v. 93. Hic quoque Heinsius *porrecta* maluit. Vitium *se saevumque*, quod editt. pr. Bon. Venet. obsidet, bene emaculavit Pius. v. 98. N. Heinsius *segnis inerti Flatus hebet*, quae correctio Delamall. T. III, p. 329. placet: non item mihi; v. supr. v. 3. Edit. Pii *Natus habet* operarum errore. Quae sequuntur, admodum sunt obscura et vitiata. Oratio, uti fieri solet in affectu, est abrupta. Ante *Nec te* Medea, graviter affecta animo, orationem suspendit pausamque facit. Conscia injuriae draconi illatae, sibi imputari vult, quod saltem ejus vitae pepercerit. Sententia quidem perspicua, sed quid sibi velint verba *Heu saevum passure diem* non liquet. *Heu*

Seque suumque simul fleuit crudelis alumnum:
Non ego te sera talem sub nocte videbam,
Sacra ferens epulasque tibi; nec talis hianti
Mella dabam, ac nostris nutribam fida venenis.
Quam grauida nunc mole jaces! quam segnis inertem
Flatus habet! Nec te saltem, miserande, peremi!
Heu saeuum passure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub vmbra.
Cede Deo, inque aliis senium nunc digere lucis
Inmemor, oro, mei; nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari. Sed tu quoque cunctas,
Aesonide, dimitte moras, atque effuge raptis

scripsit Aldus et Carrion. neuter e Codicibus, qui ad unum omnes *nec* vel *ne*: Pius in aliquot scriptis invenit *passura*, ut Delamall. in Monac. Bon. et ed. Bon. Aliquot editt. *nae*, vitiose. Suspicor, poetam scripsisse: *Nec te, saltem miserande, peremi, Nec saevum patiere diem* i. e. mortem, per epexegesin. De v. *saevus* v. III, 31. de *pati* V, 571. Si *Heu* Codd. testimonio niteretur, posset locus ita constitui: *Nec te saltem, miserande, peremi! Heu saevum passure diem! jam nulla videbis* etc. Scilicet saevum erat diem passurus, quum experrectus vellus videret raptum. Hanc rationem interim ego secutus sum. Cod. Harles. *pendentia* pro *fulgentia*. Languide.

v. 102. Cod. Mon. et ed. pr. *Caede adeo*. Bon. *adeo*. In sqq. nil mutandum est. N. Heinsius *fer degere lucis*, Burmann. *exige lucis*. Illud sine elegantia, hoc sine necessitate. Nam *digerere* ap. seriores habet consumendi notionem, uti ap. Lucan. VI, 88. *Corpora dum solvit tabes et digerit artus*, et X, 260. *Sol rapit atque undae, plus quam quod digeret aer, Tollitur:* in utroque loco est *digerere*, consumere, absumere. Quare h. l. *digere* significat consume, transige.

v. 105. Barthius Advers. XIV, c. 6. *Dis mitte moras*. Inepte. In Burm. Cod. *dimitte rates*, sed correctum erat *moras*. v. 107. feliciter ex omn. Codd. et editt. vett. lectione *infesta dedi* elicuit Pius *in fata dedi:* de qua formula dixi ad VII, 545. Infra v. 173. *in* Notos *verba dare*. Delamallo *infesta* non displicet; ejus tamen rationes non perspicio. N. Heinsius etiam

Velleribus. Patrios exstinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; jamque omne nefas, jam, spero, peregi.
Quaerenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
Ferret ad aurigerae caput arboris: Eia, per ipsum
Scande age, et aduerso gressus, ait, inprime dorso.
Nec mora fit: dictis fidens Cretheia proles
Calcat, et aeream squamis perfertur ad ornum,
Cujus adhuc rutilam seruabant brachia pellem,
Nubibus adcensis similem, aut cum veste recincta
Labitur ardenti Thaumantias obuia Phoebo.
Conripit optatum decus extremumque laborem

conjecerat *in busta dedi.* v. 112. Recte Burmann. h. v. distinxit, quum olim *Nec mora fit dictis. Fidens* etc. legeretur. Apoll. Rh. IV, 163 ἔνθα δ' ὁ μὲν χρύσειον ἀπὸ δρυὸς ἄϊνυτο κῶας, κούρης κεκλομένης. Versu sq. confidenter recepi *squamis perfertur*, uti Heinsius conjecit et Aldus nescio an ex Codice, dedit. Sed ita etiam Cod. collat. Harlesii. Praeivit nobis Delamallus. Burmannus quidem, de hac lectione dubitans, ita verba ordinat: *perfertur ad ornum, quamvis aeriam*, quamvis aeria esset; sed, nisi egregie fallor, non tam altitudo arboris spectatur, quam scandendi ratio et via, inpr. cum alias v. *calcat* nimis absolute sit positum. Ita simul lucem accipiunt v. 110. verbo *per ipsum*, i. e. draconem, et *adverso gressus imprime dorso*, quae Pius satis ridicule de Medea interpretatur, quae proclinato dorso ascendentem Jasonem juverit. v. 115. damnare vult Heinsius *aut:* frustra; est enim comparatio duplex. Nubes accenduntur non ab Iri, sed a solis radiis, ut docet Apollon. Rh. IV, 126. Φηγὸν — ἣ ἔπι κῶας βέβλητο, νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἤτ', ἀνιόντος ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν.

v. 117. N. Heinsius maluit *extremumque laborum*, ut in Pii notis est editum; Frustra. v. 123, Idem pro *totos* tentabat *rutilos*, quod recte Burmann. Apoll. Rhod. IV, 180. ἤϊε λαιῷ ἐπιειμένος ὤμῳ ἀυχένος ἐξ' ὑπάτοιο ποδήνεκὲς confutavit. v. 125. Cod. Bonon. *Tirynthius armis.* v. 131. recte Delamallus revocavit *atque aurea*, extrusa Barthii Advers. XIV, c. 6. correctione *utque.* Mutavimus interpunctionem.

Aesonides, longosque sibi gestata per annos
Phrixeae monimenta fugae vix reddidit arbor
Cum gemitu, tristesque super coiere tenebrae.
Egressi relegunt campos, et fluminis ora
Summa petunt; micat omnis ager, villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
Nunc in colla refert, nunc inplicat ille sinistrae.
Talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Vt vero sociis, qui tunc praedicta tenebant
Ostia, per longas adparuit aureus vmbras,
Clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens
Promouet ad primas juueni ratis obuia ripas.
Praecipites agit ille gradus, atque aurea misit
Terga prius; mox adtonita cum virgine puppim
Insilit, ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias saeuus venit horror ad aures,

v. 134. Cod. Vat. ed pr. *ad auras*, solemni errore: v. II, 200. Alardus *in aures* unde habeat, cum Burmanno ignoro. *Fugamque* correxit Pius pro *fidemque*, uti etiam ed. Bon. habet. Versibus sedecim, quos Pius in nonnullis Codicibus post h. versum invenit, suum locum assignavimus post v. 139. Contra versus 136 — 186. in Codd. Burm. Monac. et edit. pr. desunt, sed leguntur post v. 385. *At Minyae* etc. Verba *inflexit in armis* varie tentarunt Intpp., v. c. Pius proposuit legendum *effluxit*; Maserius *Hunc* sc. patrem *inflexit*, et ita Barthius Advers. XII, c. 6. et Alardus. Aldus *insurgit*, adstipulante Zinzerlingo. N. Heinsius *adfluxit* vel *effulsit*, vel *en fulsit*, vel *en vindex* vel *vindex it*. Burmann. *se erexit*; Harlesius *en flexit*; Wagner. *incessit* ab *incessere*: nam praesenti tempore efferuntur sequentia. Equidem nihil hic mutandum esse censeo. *Inflexit* dictum est pro *flexit*, uti seriores scriptores composita pro simplicibus frequentare consuescunt: v. supr. v. 9. quae quidem consuetudo minus observata aliquoties VV. DD. in fraudem induxit. Supplendum vero est pronomen *se*, quod optimi quique scriptores utriusque linguae in verbis praesertim motum signifi-

Fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque
Virginis. Hinc subitis inflexit frater in armis,
Vrbs etiam mox tota coit; volat ipse senectae
Inmemor Aeetes; complentur litora bello
Nequidquam: fugit inmissis nam puppis habenis.
Occidit Aeetes, casu perculsus acerbo:
Stratus humi, carae relegens vestigia natae,
Dat gemitus, lacrymasque simul vocesque resorbet.
Heu miser! attollens foedatam pulvere tandem
Caniciem: poterasne tuo nocuisse parenti,
Filia, sola meae spes non indigna senectae?
Duceris a Minyis furtim, dulcique carebis
Conjugio, laeta et nunquam praedone marito!
Hic labor est, Absyrte, tuus, revocare sororem:

cantibus omittunt: vid. Musgrave ad Euripid. Bacch. v. 585. et ad Sophocl. Trachin. v. 1262. ed. Erfurdt p. 372. Tzschucke ad Pomp Mel. III, r. p. 48. et Ruperti ad Liv. T. I. p. 153. *In armis* autem est i. q. *armatus*, ut gr. ἐν vel ἐφ' ὅπλοις. Notissimus usus hujus praepositionis, ita I, 641. *subitus trifida Neptunus in hasta.* V, 349. *in virtis;* Virgil. Aen. V, 37. *horridus in jaculis.* Aeschyl. Prometh. v. 424. ed. Sch. βρέμων ἐν ἀιχμαῖς et maxime huc facit Quint. Smyrn. VI, 194. λαοὶ δ' αὖτικα ἶσαν ἐν ἔντεσι μαιμώωντες, etsi me non fugit, Lobekium in Progr. I. d. Phrynich. p. 11. ob V, 354. legere malle δῦσαν ἐν ἔντεσι. Cf. Gierig ad Ovid. Met. XII, 65. Schaefer in Ernestii Glossar. Livian. p. 62. et inpr. Oudendorp. ad Lucan. I, 423. Similiter *in vestibus esse* pro *vestitum esse:* de q. v. Brouckhus. ad Propert. IV, 2, 28. Itaque *inflexit in armis est armatus incessit, egit se*, ut ap. Virgil. Aen. VII, 784. *Ipse inter primos praestanti corpore Turnus vertitur arma tenens.* v. 139. perperam Heinsius *jam puppis: nam* enim causam verbi *nequidquam* indicat.

v. 140. Quos hic inseruimus versus, literis, quae dicuntur, cursivis operas dare jussimus. Genuinam eorum originem vindicavimus nexumque declaravimus in Dissertatione h. libro subjuncta. v. 149. pro *jam classe parata* in aliis Codd. invenit Pius *jamque arbore caesa.* Turbatam versuum distinctionem aliquot in locis emendavimus.

Vndique selectam pubem, jam classe parata,
Et nostro da vela mari. Tum ille impiger omen
Accipit et magni subiit mandata parentis.
Interea velo remisque feruntur in alium
Certatim Minyae: Solers Neptunia proles
Consulit, ut dubio caveant contendere cursu:
Et securus, ait, nobis et tutior Ister.

Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas

v. 156. Pro *adhuc* Burmannus maluit *ad hoc*. Wagnerus *Idyia* conjecit et audacter textu reposuit, sequente Delamallo, qui h. nomen *Idya* exprimendum curavit. Varie scribitur: v. Muncker ad Hygin. f. 25. Nos postliminii jure redire jussimus v. *adhuc*. v. Diss. v. 160. Cod. Burm. *Siste fuga*, absorpta litera bovina a verbo sq. Idem Codex *Nota, potes*. v. 165. *Vota domus* pro vulg. *nota domus* jam in notis dedit Pius ante Gronov. Observatt. IV, c. 12. p. 657. et confirmat Cod. Reg. Intelligenda familia Stiri, Albani principis, cui devota, desponsata erat Medea: v. III, 497. V, 460. — v. 166. Cod. Burm. *ignibus uncis*. Vitiose. v. 177. in Cod. Vat. I. Heins. omissae erant voces *aequora remi*. Satis indefinite hic ponuntur *aequora*: desideratur vel *nostra* vel *haec*; quare Heinsius proposuit legendum *subiere haec aequora* vel *subiere haec litora*: sed ejusmodi ἀσυζασιὰι in carmine, quod ultimam limam desiderat, notandae tantum, non emendandae sunt. Nequaquam vero *subierunt* mutandum cum Heinsio in *secuerunt*. v. 179. Pro *tempora* Dorvillius ad Chariton. p. 528. ed. Lips. correxit *pocula*, quo oratio tenuis evadit et pedestris. v. ad, I, 543. v. 179. N. Heinsius ludebat *non ullus vultu color*, quod merito ipse improbavit. Cod. Bonon. *tibi cum color*. Indignor inficetam Burmanni correctionem, qui pro *errantesque genae*, i. e. oculi, quibus praeclare luctans cum pudore amor puellae designatur, quae oculos mox in Jasonem flectere, mox pudibunda retorquere solebat, *arentesque genae* maluit, quia ex amore macies existat: v. Ovid. Heroid. XI, 23. Cui bene Delamallus T. III. p. 331. opposuit, non verosimile esse, puellares Medeae oculos amore viginti quatuor horarum jam exaruisse. *Genas* esse oculos, docui ad I, 758. proinde Pius et Wagnerus non satis recte haec verba de errante genarum, mox pallore, mox

Et soror atque omnes aliae matresque nurusque
Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
Exstat sola parens, inpletque vlulatibus auras:
Siste fugam, medio refer huc ex aequore puppim:
Nata, potes. Quo, clamat, abis? hic turba tuorum
Omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
Sceptraque. Quid terris solam te credis Achaeis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istane vota domus exspectatique Hymenaei?
Hunc petii grandaena diem? Vellem vnguibus vncis,
Vt volucris, possem praedonis in ipsius ora
Ire ratemque supra, claroque reposcere cantu,
Quam genui. Albano fuit haec promissa tyranno,
Non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Aesonide; non hoc Pelias euadere furto

rubore suffusarum, colore mihi cogitare videntur. In Cod. Burm. e versu 183. verbum *paterere* et e v. 184. *iremus* deest; quare castiganda est oscitantia Delamalli, qui utrumque versum in illo Cod. desiderari ait. Idem tamen optime de h. loco promeruit corrigendo *tunc omne nefas*, quod ego, sensu flagitante, reposui. Optat nempe Idyia, ut sibi Medeae in Jasonem amor prius innotuerit, ut aut Jason gener in aula remansisset, aut, si Medea abire cum illo perstitisset, ipsa se fugae comitem adjungere potuisset, *tunc nefas*, nefanda fuga *fuisset commune et iremus ambae* etc. Spirant haec vehementem et inconsideratum amoris materni affectum, qui tamen bene convenit animo ira juxta ac timore aestuanti, et matri filiae amantissimae indulgendus esse videtur: quod non fecit Wagnerus, cui hic locus displicet. Pronus vero erat librariorum lapsus in utraque voce describenda: v. Intpp. ad Ovid. Heroid. XVIII, 95. et Lucan. I, 217. Haec saltem medicina, ingenio reperta, levior est, quam Heinsii, qui *aut certe tecum omne nefas*, et Burmanni, qui *aut certe non omne nefas* correxit, quae posterior ratio sanandi sensum torquet, sicut illa ταυτολόγος propter anteced. *commune* esse videtur. v. 188. Pius pro *supremo* frigide correxit *supino*.

Te jubet, aut vllas Colchis abducere natas.
Vellus habe, et nostris, si quid super, adcipe templis.
Sed quid ego quemquam inmeritis incuso querelis?
Ipsa fugit, tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti),
Ex quo Thessalici subierunt aequora remi,
Quod nullae te, nata, dapes, non vlla juuabant
Tempora? non vllus tibi tum color, aegraque verba
Errantesque genae atque alieno gaudia vultu
Semper erant? Cur tanta mihi non prodita pestis,
Vt gener Aesonides nostra consideret aula,
Nec talem paterere fugam? Commune fuisset
Aut certe tunc omne nefas: iremus et ambae
In quascumque vias; pariter petiisse iuuaret
Thessaliam et saeui, quaecumque est, hospitis vrbem.
Sic genetrix, similique inplet soror omnia questu
Exululans; famulae pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine; te venti procul et tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant. Redeuntibus aura
Gratior, et notae Minyis transcurrere terrae,
Quum subito Erginus puppi sic fatur ab alta:
Vos, ait, Aesonide, contenti vellere capto,

v. 194. Maserius miro stupore dedit *Vos, ait, Aesonidae*, existimayitque Argonautas ab Jasone dici *Aesonidas*. Editt. Lugd. Argent. vitiose *Aesonides*. Vitium hoc emaculavit Pius. Orationis formulam illustrant, praeter Burmannum ad h. l., de la Cerda ad Virgil. Aen. IX, 525. Heusinger ad Cicer. Offic. II, 11. et in Praef. p. 47. Heinrich ad Hesiod. Scut. Herc. v. 327. p. 205. Ruhnken. ad Terent. Eunuch. 1, 2. p. 169. Bruns. Huschke ad Tibull. I, 3. 1. et, qui e veteribus laudantur a Gronov. de Pecun. II, 48. p. 76. N. Heinsius itemque Burmannus *vellere rapto* malunt, quod in Cod. Bonon. inventum reposuit Delamallus. Non sequor, quia Erginus, unus Argonautarum non apte *vellere*

Nec via quae superet, nec quae fortuna, videtis.
Crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneasque vocat, meminique, o Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, meminì, venerande, laborum.
Mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
Eluctanda via, et cursu, quem fabor, eundum est.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Istri,
Fundere non vno tantum quem flumina cornu
Adcipimus; septem exit aquis, septem ostia pandit.
Illius adversi nunc ora petamus et vndam,
Quae latus in laeuum ponti cadit; inde sequemur
Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo

rapto dicere mihi videtur. Supra VI, 320. *nec longa dies, ut capta videres Vellera.* Recte vero V, 238. *rapta vellera*; etiam VIII, 105. Medea *effuge raptis velleribus*, ubi tamen non est *cum vi*, sed *celeriter* captis. v. 193. Cod. Coki *Erigiginus.* v. 200. *cursu* deest Cod. Burmann.

v. 202. Audaci atque inutili conjectura Burmannus *tantum* mutare voluit in *fando*: recte jam de la Cerda ad Virgil. T. II. p. 276. explicuit: „*non uno tantum ostio: quia videlicet sex aliis invadit Pontum Euxinum.* Heinsio placuit v. 205. *Qua latus*: mihi videtur vulgata *Quae* sc. *unda* magis poetica. v. 207. vulgatam *perferat* cum Pio probat Burmannus, laudato Barthio ad Stat. Theb. IX, 346. cf. Virg. Aen. I, 389. ubi de hac voce disserit. Sed Cod. Burm. et tres Delam. *proferat*, quod Delamallus textui dedit. Cum utraque vox sic differat, ut *proferre* progressionis habeat notionem et sit *ultra ferre, promovere*; at *perferre* terminum indicet finemque, ad quem aliquis contendat et ferri cupiat, liquet, loco utrimque considerato, hic *proferat* legendum esse, quoniam de tuta progressione itinerisque continuatione sermo est, ubi minus sit periculorum, quam per Cyaneas rupes, donec Argo *flumine certo*, cursu minus periculoso prolata, in aliud mare reddatur. Priora igitur verba *flumine-proferat* navigationis progressum, posteriora *inque-mare* itineris terminum denotant. Quare Codd. lectionem reposui. De re exponam olim in editione peculiari Excursu.

Proferat inque aliud reddat mare. Sint age tanti,
Aesonide, quaecumque morae, quam saeua subire
Saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.
Haec ait, ignarus fixas jam numine rupes
Stare, neque aduersis vltra concurrere saxis.
Reddidit Aesonides: Et te, fidissime rector,
Haud vani tetigere metus, nec me ire recuso
Longius, et cunctis redeuntem ostendere terris.
Proteuus inde alios flectunt regesque locosque,
Adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor.
Puppe procul summa vigilis post terga magistri

v. 207. Codd. Vat. Bon. phi errore. Cod. Harles. *manibus* pro *genibus*, quod supplicum mori convenit. v. 220. Turnebus Advers. XXIX. c. 4. correxit *residens sub tegmine palla* et Zinzerlingus *residens in flumina palla:* alioqui mirum esse loquendi genus et hypallagen insuaviter sonantem, pro luminibus in pallam conjectis: sed eos docte confutavit Gronov. Obseruatt. IV, c. 21. p. 773. cf. ad I, 132. Apposite laudat Wagner. Orph. Argon. 1221. λῖτι καλυπτομένη, ἐανῷ δ' ἀμφέσχε παρείας. Tristium vero habitus fuit palla in oculos dejecta, ut multis docuerunt Wernsdorf in Stoschii Mus. Crit. Vol. I. P. 1. p. 226. Wakefield ad Sophocl. Trach. v. 308. ed. Erfrdt p. 224. et inpr. Nodellius in Not. Crit. ad Flav. Avieni Fab. Amstelod. 1787. p. 83. Cod. Burm. *tum regibus.*

sint age tantae. N. Heinsius temere conjecerat *sint mage tanti.* Edit. Carrion. 2 *Aeesonidae*, operarum lapsu. v. 210. Codd. Burm. Vat. Monac. *Stat mihi*, et ita Heinsius, adstipulante Delamallo, in ora Codicis sui conjecerat: sed vulgata *Sat mihi* optime se habet et supplebis vel periculi vel detrimenti, detritis videlicet navis corymbis v. IV, 691. Illud *ecce* vim habet et vultuose est pronuntiandum. Igitur concidunt correctiones N. Heinsii *reditura* vel *rediisse corymbis*, itemque Burmanni *Sat mihi, dum totis* vel *Sat tibi, non totis Argo reditura* (s. *redit ecce*) *corymbis*, quae admodum languent. Cod. Coki *Argo dedit.* v. 212. Cod. Burm. et Bon. *ultro.* v. 217. Codd. Burm. *plaustris mivantibus.* Male v. VI, 15.

v. 218. In Alardi edit. *post regna magistri:* typogra-

Haeserat auratae genibus Medea Minervae;
Atque ibi dejecta residens in lumina palla
Flebat adhuc, quamquam Haemoniis cum regibus iret,
Sola tamen, nec conjugii secura futuri.
Illam Sarmatici miserantur litora ponti;
Illa Thoanteae transit defleta Dianae.

v. 224. Wagnerus bene restituit *defleta*, ut Cod. Reg. et ed. Ald. exhibent et Pius in Notis probat. *Illa* sc. Medea *transit* (litora Taurica) *defleta* a Diana, cujus sacerdos et discipula fuit: v. V, 240. Recte monet Wagnerus p. 269. Val. Flaccum hic non de transvectione loqui, sed de miseratione, qua ubique excepta fuerit. Vulgatam *deflexa* mordicus tenuit Delamallus et T. III. p. 336 de incurvato regni Thoantei litore interpretatus est, ad quod, auctore Diodoro Siculo, Argonautae fuerint adpulsi. Verum hanc interpretationem destituit ratio grammatica, quae tamen Delamallo non semper, uti par erat, curae cordique est. N. Heinsius correxit *devexa*: Burmannno odiosa est repetitio pronominis *illa*, maluitque *Inde* vel *Vtque*. Neuter operae pretium fecit. Sequendus erat Pius, qui in Notis veram lectionem optime explanavit. Burmann. Cod. vitiose *Thoameae*. v. 227. etiam de h. versu emendando egregie meruit Wagnerus, qui lectionem antiq. Pii Codicum et Vatic. 1. Heinsii reposuit pro inepta vulgata *ipsi quoque murmura ponti*, vel ut Aldus et Delamallus nuper dedit *aspri-ponti*, i. e. Cyanearum: cujus viri levitatem omnino hic videre licet. In Notis textui subjectis sibi maxime placere ait Pii lectionem eamque ideo in textum admisisse: sed ibi Aldinae lectio comparet eique in Comment. T. III. p. 336. hunc subjicit sensum: Argonautas Medeam desperantem miseratos poenituisse longioris viae ideoque maluisse perferre Cyanearum rupium pericula et Ponti Euxini aestus. Sed adversatur contextus. Alii non magis bene supplent *eam* h. sensu: *Minyae volunt*, *eam* sc. Medeam *ferre ponti murmura*. Invita itidem Minerva Heinsius et Burmannus conjecturis h. locum tentarunt: ille *marmora ponti*; hic *Ipsi per marmora ponti* etc. Dolet tam egregios viros in summa luce potuisse coecutire! Ejus lectionis, quam nos exhibuimus, sensus hic est: uti incolae illarum regionum transvectam

Nulla palus, nullus Scythiae non moeret euntem
Amnis; Hyperboreas mouit conspecta pruinas,
Tot modo regna tenens; ipsi quoqne murmura ponunt
Jam Minyae, jam ferre volunt. Vix adleuat ora
Ad seras, si quando, dapes, quas carus Jason
Ipse dabat, jam nubiferam transire Carambin
Significans. jam regna Lyci, totiensque gementem
Fallit, ad Haemonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticae Peuce stat nomine Nymphae,

miserabantur Medeam, ita Argonautae quoque, murmurantes antea atque indignantes (inpr. Ides v. VII, 574.) Medeam, laborum adjutricem, nunc misericordiae sensu tacti murmura deponunt oraque conviciatoria supprimunt eamque in nave ferre, tolerare volunt. Nil clarius ac verius! Vat. 1. *ipsae*; Bon. *ipse*. Cod. Coki *murmure*. v. 229. pro *quas carus* Barthius Advers. XIV. c. 6. *has*, Temere! Cod. Monac. *at seras*, idem versu sq. *ipse dabam*. v. 232. Cod. Bon. ed. pr. Junt. Pii. Maser. *hortatur*: sec. Maserium a quibusdam etiam *et Haemonios* legebatur. Bulaeus primus scripsit *hortatus*, quod omnes deinceps amplexi sunt Intpp. Ego non diffiteor, perduram mihi videri interpretationem, qua sensus loci sit: *hortatur*, *eam surgere* sc. oculis *ad Haemonios montes*. Malim igitur: *Fallit et H. hortatur surgere montes*; h. sensu: monet, jam H. montes surgere, apparere i. e. non longe abesse ab Haemonia, Thessaliam esse jam vicinam, quo magis eam consoletur. Apte vero et eleganter *surgere* de montibus, qui e longinquo in conspectum veniunt, apparent, ut *exsurgere*, *exstare*, *attollere*: de quibus v. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. II. 264. et Drakenb. ad Liv. XXV, 21. Nihil tamen novavi. Cod. Vat. 1. *hortatus*. Ceterum Delamallus T. III. p. 335. opinatur, totum locum a. v. 200 — 16. (hujus edit. v. 223 — 32.) valde esse interpolatum transpositis versibus: quam opinationem infra in Dissertatione explorabimus.

v. 233. Aldina vitiose *Peucae*. v. 235. *Ister* scripsi, gr. Ἴστρος. Interpretum inconstantiam in scribenda hac voce egregie adjuvant Codices, adspirationem mox praefigentes, mox omittentes: v. Tzschucke ad P. Melam Vol. II. P. II. p. 50. Dicam de h. read

Toruus vbi et ripa semper metuendus vtraque
In freta per saeuos Ister descendit alumnos: 235

I, 181. - Omn. Cdd. et editt. vett. *descendit alumnos*, quod fidenter reposui. *Alanos* est conjectura Maserii, quae, quod sciam, per omnes deinceps editiones, excepta Pii ed. 1519., propagata est. Speciosa quidem est conjectura, nequaquam tamen vera ob rationes geographicas. Etenim omnes scriptores *Alanos* ponunt ad Maeotida paludem et Tanain; vide quae attulerunt C. Barthius ad Claudian. in Rufin. I, 314. p. 1171—73. Cellarius Geogr. Antiq. II, 6. 22. et Tzschucke ad P. Mel. Vol. III. P. III, p. 137. Etiam Dionys. Perieg. 302-8. eos collocat in gentibus versus septentrionem ab Istro sitis neque aliter Plinius H. N. IV. c. 25. p. 162. ed. Franz et Martialis VII. 29. 6. intelligendi sunt. Nescio igitur, quo jure Barthius ad Claudian. l. c. P. Burmannus ad Sueton. Domit. c. 2. p. 295. et Tzschuckius duplices, Europaeos et Asiaticos, Alanos fuisse statuant. In confiniis utriusque terrae habitarunt, et, quod Ammian. Marcellin. L. XXXI. c. 6. tradit: *in immensum extentas Scythiae solitudines Alani habitant*, id partim satis vage ob vagos hujus terrae fines dictum est, partim de seriori tempore valet, neque id inde effici potest, Alanos ita ad Istrum habitasse, ut Val. Flaccus dicere potuisset: *per saevos Ister descendit Alanos*, ut Mela III, 1, 10. *Per Concanos et Salenos — Nanasa descendit. Itaque* temere etiam ponit Tzschuckius, Zonarae 15. 1. testimonio innixus, qui Alanos et Albanos in unum populum coaluisse tradit, Alanos a Danubio ulterius esse progressos ad Paludem, ubi Albani habitabant. Zonaras itidem de seriori tempore loquitur, et utrumque populum distinguit Val. Fl. libr. VI. Vespasiani tempore Alanos ad Paludem sitos fuisse, testatur praeter Joseph d. b. Jud. VII. 27. 4. ipse Val. Flaccus VI, 42. ubi eos cum *Heniochis* jungit, qui post Colchos septentrionale Ponti Euxini litus inhabitabant. v. P. Mela I, 19, 14. ibiq. Tzsch. p. 626. Inde patet, quantopere delirasset Valer. Flaccus, si eundem populum ad Istrum posuisset. Eodem loco eos collocat Lucan. VIII, 223. ibiq. Oudend. p. 617. 18. Quid igitur? Valerius Flaccus non certum quendam populum memoravit, sed in universum saevos accolas, per quos Ister descendit. Scilicet *alumnus*, quae vox active et passive sumitur v. Taubmann ad Virgil. Aen. XI, 33.

Soluere in hoc tandem resides dux litore curas,
Ac primum socios ausus sua pacta docere
Promissamque fidem thalami foedusque jugale.
Vltro omnes laeti instigant meritamque fatentur;
Ipse autem inuitae jam Pallados erigit aras, 240

et Tzschucke ad P. Mel. Vol. III, P. II, p. 159., eleganter adhibetur de fluviorum accolis v. Castalio in Var. Lect. c. 50. et inpr. Schrader. Observatt. I, 4. p. 41. 42., qui item h. l. Codd. lectionem tuetur. Ita Claudian. de laud. Stilich. I, v. 159. *Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus Oceani*, ubi Mss. *Alanus* praebent. v. Heinsius, qui ibi vulgatam reduxit. Intelligendae igitur sunt gentes in utroque Istri litore habitantes, quarum ingenia cultusque describit Pomp. *Mela II.* 1. 9 — 14. nominatim Scythae, *unde Scythicus Ister* v. 185. et Thraces, quarum regio, ut Mela II, 2, 1. ait, *viros benignius alit, non ad speciem tamen: nam et illis asper et indecens corporum habitus est, ceterum ad ferociam et numerum, ut multi immitesque sint, maxime ferox:* cf Tzschucke Vol. III. P. II. p. 67. et 68. Ceterum *Omnis in Arctois populus quicunque pruinis Nascitur, indomitus bellis et Martis amator*, ut canit Lucan. VIII. 363. Recte igitur Noster *saevos alumnos* dixit accolas, per quos Ister *descendit:* de quo verbo v. Oudend. ad Lucan. III, 207.

v. 236. N. Heinsius languide, si quid sentio, correxit *residens in litore* pro *resides-curas* i. e. residuas post exantlata feliciter Colchis pericula felicemque fugam, etsi hoc verbum alias apud Nostrum desidiae notione venit, velut II, 373. III, 394. Idem Heinsius v. sq. *ac primum hic socios* maluit.

v. 240. Cod. Mon. et editt. vett. *Ipsa*, Bon. *ipsa nunc.* Mendum hoc emaculavit post Balbum Barthius Advers. XIV. c. 6. Intelligendus est Jason. De pronomine *ipse*, αὐτὸς hoc significatu dixi ad IV, 286. Heinsius sine necessitate *erigere aras* maluit. Prisci Codd. Pii *invitae* habebant pro *innuptae*, quod in edit. Bon. 1498. comparet atque Wagnero et Delamallo arridet, non item mihi. Etenim hic non epitheton desideratur in universum aliquam Palladis virtutem v. c. virginitatem designans, sed quod animi sensum et habitum Minervae de Jasonis nuptiis innuat. Pallas autem h. l. *inuita* vocatur non tam quod omnino nuptiis adversatur, uti Burmannus cen-

Incipit Idaliae numen nec spernere Divae.
Praecipueque sui, si quando, in tempore pulcer
Conjugii Minyas numquam magis eminet inter;
Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit aut dilecta Cythera;
Seu quum coelestes Alcidae inuisere mensas
Jam vacat, et fessum Junonia sustinet Hebe.
Adsunt vnanimes Venus, hortatorque Cupido
Suscitat adfixam moestis Aeetida curis;
Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit; ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat et arsuras alia cum virgine gemmas.
Tum nouus inpleuit vultus honor, ac sua flauis
Reddita cura comis, graditurque oblita malorum.
Sic vbi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,

set, quam quod aegre ferebat hoc conjugium ob ingentia Jasoni, cujus patrona fuit, inde oritura mala. Sic ap. Ovid. Met. V. 415. *Non potes invitae Cereris gener esse.* v. 244. Zinzerlingus, haud dubie memoria lapsus, ad II, v. 283. h. versum citans legit *ab Haemo.* Cod. Bon. *Alcides.* Lectionem *sustinet* contra Heinsii correctiones *distinet* vel *suscipit* tuetur I, v. 348. *Collapsam pectore matrem sustinet.*

non succurrit, neque tamen Wagnerum inducere debebat, ut, revocata post *Cupido* majore distinctione, scribi mallet: *Suscitat hic fixam*, cui respondeat *Ipsa.* Similis durities in sqq. *Ipsa - induit; ipsa - Cytherea - donat.* Totus locus correctoris manu indiget. v. 250. Cod. Coki *subtegmine*, ed. pr. *sub tegmine* divisim. v. 251. Heinsius correxit *duplex Cytherea:* de qua correctione in peculiari excursu agam.

v. 248. Recte Pius *suscitat* pro *sufficit* uti ed. Venet. habet, et jure Burmannus post *Cupido* majorem distinctionem sustulit. Notanda constructio *Adsunt unanimes Venus* et *Cupido suscitat:* cui gemina mihi nunc

v. 255. Codd. Bon. Mon. *planctu sacer* absorpto sibilo a voce seq. v. 256. ed. pr. *fedaque per oppida;* ed. Bon. *laetaeque:* v. 257. Codd. Vat. Mon. ed pr. Junt. Maser. Ald. Pii *modo jam;* sed in Notis Pius

Laetaque jam Cybele festaeque per oppida taedae;
Quis modo tam saeuos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi quî jam meminere ministri?
Inde, vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides, vnaque adeunt pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux vndamque jugalem
Praetulit, et dextrum pariter vertuntur in orbem.
Sed neque se pingues tum candida flamma per auras
Explicuit, nec thura videt concordia Mopsus,
Promissam nec stare fidem, breue tempus amorum.
Odit vtrumque simul, simul et miseratur vtrumque,
Et tibi jam nullos optauit, barbara, natos.
Mox epulas et sacra parant; syluestria laetis

tam, ut ed. Bon. Venet. Pro *qui jam* Barthius *quid jam*. Heinsius audacter *haud ipsi quin jam*. Burmannus *qui* pro ablativo sumit. Wagnerus jungit *qui ipsi*: praestat Burmanni ratio.

v. 259. Carrion *Hinc, ubi* unde habeat, c. Burmanno ignoro. *Inde* pro *Deinde* vidimus ad II., 163. Cod. Vatic. *sacrificans*. v. 260. ed. pr. *imaque adeunt*. v. 262. scripsi, praeeunte Delamallo, *et - pariter vertuntur* pro *ut - vertantur*, quod ex edit. pr. in alias, exceptis Bonon. 1498. et Venet. 1500, transmissum est sine ullius Cod. auctoritate. Harles. Cod. *in omni* pro *in orbem*. v. 263 Maserius maluit *per aras*. Temere, etsi Delamallo satis placet, Cod. Harles. *pingues nec*. v. 264. cum adspiratione, scripsi *thura*, originationem secutus: e gr. θύος fecerunt Latini *thuos*, contr. *thus*. Codicum hac in re nulla auctoritas. Editorum inconstantia inaudita. Conf. praeter Becmannum et Cellarium Pierius ad Virg. Aen. I, 417. et quos laudat Drakenb. ad Liv. X, 23, 2. v. 265. Heinsius sine elegantia et ex mera corrigendi lubidine *et breve tempus amorum* vel *promissa nec stare fide breve tempus amorum*: eum jure refutat Burmann. Vulgata concisam Nostri orationem et ponderosam brevitatem refert. v. 267. Cod. Coki *tam nullos*: Heinsius e Cod. Vat. 1. *tum nullos*. Languide. Cod. Burm. *aptavit*,

v. 268. veram lectionem *sylvestria laetis* suppeditant Codd. Mon. et Burm. Vatic.

Praemia, venatu facili quaesita, supersunt;
Pars verubus, pars vndanti despumat aheno.
Gramineis ast inde toris discumbitur, olim
Ister anhelantem Peucen quo presserat antro.
Ipsi inter medios rosea radiante juuenta
Altius inque sui sternuntur velleris auro.
Quis nouus inceptos timor inpediit Hymenaeos,
Turbauitque toros. et sacra calentia rupit?
Absyrtus subita praeceps cum classe parentis
Aduehitur, profugis infestam lampada Graiis

1. *laeti* Bon. ed. pr. Junt. Maser. Pii. et ed. Bon. Venet. et Ald. Heinsius vel ex vulg. interpunctione *lautis* vel *mox epulas et strata parant sylvestria laeti.* Burmannus *festis.* Sed nil mutandum est.

v. 275. Cod. Vatic. *impendit Hymenaeos.* v. 278. operarum vitium edit. Burm. *Advenitur* pro *advehitur* propagavit, ut solet, Haelesius; emendarunt Bipontini et Wagner. Quare non erat, quod Delamallus, omn. Codd. et editt. vett. consensum testatus, gloriaretur, se restituisse veram lectionem, et alias editiones *advenitur* habere diceret. Inde patet, quanta cum religione Gallicus hîc Interpres versatus sit in conferendis editionibus! v. 280. Heinsio placuit *Atque haec. o si quis* etc. Male. v. 281. Pius dedit *viam:* an ex Codd. non addit. Codd. Burm. Bon. ed pr. Bonon. Venet. *Accelerate fugam:* quam lectionem ideo, quod statim *fugit* sequitur, sprevit. Vtraque vox confunditur v. Gronov ad Senec. Thyest. 1042. Intpp. ad Ovid. Met. V. 574. ex ignoratione vocis *fuga,* quae saepe iter citato gradu et impetu factum denotat, ut III, 547. 584. IV, 573. 703. et v. Servius ad Virg. Georg. I, 286. et Gronov. ad Senec. Thyest. 629. Herc. Oet. 140. et 1038. Quapropter h. l. malim restituere *fugam:* nil tamen in textu novavi. Cod. Bonon, *sequitur vestigia.* Cod. Coki *haud falsi.* v. 283. correxit Pius *una* pro *ima,* ut in ed. pr. Venet. v. 284. Heinsius *quoque libet.* Prave! Cod. Vat. *tumeat cum* virgine; Cod. Monac. *tremeat.* Editt. Pii. Arg. Colon. Gryph. *remeant.* In edit. Ven. *vobis:* Pius perperam *nobis* cum v. *O pudor!* junxit. Haec verba interjectioni inserviunt. v. Heinsius ad Ovid. Heroid. IX. 111. et Bentlej. ad Horat. III, 5. 38. p. 177. ed. Lips.

Concutiens diramque premens clamore sororem:
Atque, Hanc, o si quis vobis dolor iraque, Colchi,
Adcelerate viam, neque enim fugit aequore raptor
Jupiter, aut falsi sequimur vestigia tauri.
Puppe (nefas) vna praedo Phrixea reportat
Vellera; qua libuit, remeat cum virgine; nobis
(O pudor!) et muros et stantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde satis? nec quaero vellera, nec te
Adcipio, germana, datam; nec foederis vlla
Spes erit, aut irae quisquam modus. Inde reuerti
Patris ad ora mei tam paruo in tempore fas sit?
Quinquaginta animae me scilicet vnaque mersa

v. 286. Heinsius sine idonea causa *nec curo vellera* et mox *Spes super:* ita *unde reverti*, quod Heinsius pro *inde* voluit, contextui adversatur. Prave Aldus *non parvo*. v. 291. Heinsius *Sufficiat*, quod non opus esse puto. Vers. sq. Ezr. de Clercquius in Observatt. ad Lucan. p. 14. correxit *Spargo moenibus*, sine necessitate et elegantia. Codd. Vat. Mon. Bon. *connubia pater*. v. 294. Idem ille de Clercquius l. c. p. 15. emendavit *Pronubus ecce fero* etc. codicibus renitentibus, atque hac emendatione poetam jam nativas veneres spirare sibi persuasit, non mihi. Non operae pretium est, tam inutile tentamen confutare. Vis inest repetito verbo *Primus*. Operarum lapsu in edit. Pii legitur *Qui potuit patriae*. v. 297. sine haesitatione dedi *alii* pro *alti*, quod in editt. Heinsii Burm. Harlesii et, quod paene indignor, Delamalli adhuc comparet. Praeclare de hoc loco meruit Bentlej. ad Horat. III, 6, 20. p. 181. ed Lips. cujus interpunctionem quoque adoptavi. *Alii* habet edit. Bonon. Harles. et jure recepit Wagnerus. Dolet, Heinsium ineptae Balbi correctioni *alto* i. e. mari potuisse calculum suum addere, licet in editionibus, nescio tamen quibus, *alii* invenerit. Geminus error I, 405. v. 300. qui primus veram lectionem *coiisse* dederit, non potui indagare. Codd. Mon. Coki *coire:* et ita ed. pr. Ald. Junt. Cod. Bon. *coiere*. Cod. Burm. *cohiere*. Heinsius tentabat *concire rates:* quod dubito an de navibus dici queat. Differt saltem VI. 35. quem Heinsius in suam rem laudat.

Subficiet placare ratis? te, Graecia fallax,
Persequor, atque tuis hunc quasso moenibus ignem;
Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater.
Primus et ecce fero quatioque hanc lampada vestro
Conjugio; primus celebro dotalia sacra,
Qui potui; patriae veniam da, quaeso, senectae.
Quin omnes alii, pariter populique patresque,
Mecum adsunt. Magni virgo ne regia Solis
Haemonii thalamos adeas despecta mariti,
Tot decuit coiisse rates, tot fulgere taedas.
Dixerat, itque orans iterum ventosque virosque

v. 301. Carrion bene dedit *Dixerat*, *Itque* pro *atque*, ut Codd. Heinsii, Burm. Vat. Mon. Bon. Coki, ed. Bon. atq. omn. vett editt. Qui sequitur versus est unus ex vitiosissimis, ita ut eum tollendum censeret Bathius Advers. XIV. c. 6. Corrigendi ratio, quam nos iniimus, probabilis et ceteris VV. DD. emendadationibus praeferenda esse videtur. Sensus est: Absyrti ventos virosque orantis vox s. cohortatio remeat, cursitat per rates ad magistros h. e. gubernatores v. Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 117. Burm. ad Nostr. I. 382. et ad Petron. c 101. *Meare* de voce vel clamore ap. Auson. Ep. X. ad Paul. v. 28. p. 612. ed Toll. *Per tecta clamores meant*; apte Noster de voce per rates resonante *remeat* usurpavit. Idem verbum corruptum erat supra v. 268. *Perque ratis — magistros* parum recte olim in Ep. Crit. p 92. correxeram, cum Absyrto non una ratis, sed classis esset, v. 261. (n. ed .277.) et Dativi usus *magistris* pro *ad magistros* a poetis frequentetur. *Magistris* correxit Pius ex vet. Codice, invenerunt in suis Mss. Heinsius et Delamallus, et ita Cod. Coki, in quo totus versus asterisco notatur. *Magistros* Cod. Burm. edit. pr. Non ipse Pius, ut Delamallus ait, sed alii, quos laudat, legerunt *perque ratis supplex repsit vox illa magistris.* Lectio *vox illa* coaluerat in *vexilla*, ut in Heinsii Mss. Burm. et Delam. comparet, qui omnes habent *Perque ratis supplex ac* s. *et remigis vexilla.* Inde N. Heinsius tentabat *Perque rates supplex it remigi et inde magistris* vel *Ter quater his supplex vox erigit illa magistros*; Burmannus sic: *Perque rates implet vox remigis illa magistros.* Withofius

Perque rates subplex remeat vox illa magistris.
Illi autem intorquent truncis frondentibus vndam;
Quaeque die fuerat raptim formata sub vno,
Et tantum dejecta suis a montibus arbor,
(Quid dolor et veterum potuit non ira virorum!)
Haud longis jam distat aquis, sequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis, ostia donec
Danubii viridemque vident ante ostia Peucen,
Vltimaque adnoscunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt

in Krit. Anmerk. Fasc. II. p. 48. *Perque rates supplex volat et premit illa magistros.* Sed v. *vox* neutiquam abesse potest, neque *supplex:* proinde displicent Wagneri et Rupertii hariolationes, quorum hic *Perque rates urguet remos vox alta magistri*, et ille *Perque rates una est vox remigis atque magistri.* Denique Slothhouwerus in Act. Traj. T III, p. 178. *Perque rates — vox remigis illa magistris.* Nobiscum in *remeat* inciderat Delamallus, qui edidit: *Perque ratis — remeat vox illa magistros.* Ceterum cum h. loco conferri debet IV, 647. *Ipse per arma volans et per juga summa carinae Hortatur supplexque manus intendit Jason, Nomine quemque premens.*

v. 303. *Truncis* bene tuetur Burmannus contra Heinsium, qui *tonsis* maluit. Stat. Theb. V. 422. simili de causa *trabes* vocat Argonautarum remos. Cod. Bon. *sub imo:* et v. 306. Burm. Cod. *Qui dolor:* qui versus Wagnero glossam sapere videtur, mihi pernecessarius esse videtur, quia poeta, ut acute monet Burmannus, credibile facere vult, totam classem uno die potuisse aedificari. Sed interpunctionem mutavimus. Editt. Pii. Junt. Ald. *Palladium*, operarum lapsu. v. 309. Vat. 1. *Danuvii:* de qua scriptura citat Burmann. Tristani Commentt. Histor. T. I, p. 395. Adde Raschii Lexic. Num. T. II, P. I. p. 49.

v. 311. Cod. Bon. *imitataque tollunt.* Cod. Harles. *alto* pro *ingo.* v. 314. Cod. Bon. *Praeceps navalem*, per se non mala lectio, sed ob v. 317. *Jamque alii* etc. non admittenda. C. Barthius Advers. XV. c. 6. citat *Primus navalem:* unde habeat, nescio. Cod. Burm. *novalem.* v. 316. Barthius l. c. correxit

Gaudia; tum grauior remis fragor, vt procul Argo
Visa viris, vnamque petunt rostra omnia puppim.
Princeps naualem nodosi roboris vncum
Adripit et longa Stirus prospectat ad vnda,
Conjugio atque iterum sponsae flammatus amore.
Jamque alii clypeos et tela trabalia dextris
Expediunt, armant alii picis vnguine flammas.
Inpatiens tremit hasta morae, nec longius inter,
Quam quod tela vetet, superest mare. Vocibus vrguent
Interea, et pedibus pulsant tabulata frementes.
Quum subitas videre rates vibrataque flammis
Aequora, non vna Minyae formidine surgunt,
Primus et in puppim deserta virgine ductor
Prosilit, et summa galeam rapit altus ab hasta,
Ense simul clypeoque micat; nec cetera pubes
Segnius adreptis in litore constitit armis.
At tibi, quae scelerum facies, Medea, tuorum?
Quisue pudor Colchos iterum fratremque videnti,
Quidquid et abscisum vasto jam tuta profundo
Credideras? Ergo infausto sese obculit antro,
Non aliud quam certa mori, seu carus Jason,
Seu frater Graja victus cecidisset ab hasta.
Haud ita sed summo segnis sedet aethere Juno;

Conjugis atque iterum. Male ob sq. *sponsae.* Cod. Bon. *flammantis.* v. 319 In edit. Pii *mora:* typorum errore; nam in Notis *morae.* Heinsio *inter* videbatur abundare, ob sq. *superest,* conjecitque *inde* contra loquendi usum poetae cf. v. 382. V. 337. VI. 220. v. 320. Cod. Bon. *vocibus urguet.*

v. 322. Cod. Bon. *Cum subito.* Vulgata *non una* multo doctior est, quam Balbi Heinsiique conjectio *non vana.* Illa exprimit diversas metus causas. vid. Heynius Observatt. ad Tibull. I. 2. 88. p. 27. ibique Wunderlich. p. 53.

v. 334. Insolentior verborum collocatio fraudi hic fuit Intpp.: nam Codd. in Vulg. conspirant, nisi quod

Haud sinit extrema Minyas decernere pugna,
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus, aequos.
Ergo vbi Diva rates hostemque adcedere cernit,
Ipsa subit terras, tempestatumque refringit
Ventorumque domos. Volucrum gens turbida fratrum
Erumpit, classem dextra Saturnia monstrat.
Videre, inque vnum pariter mare protenus omnes
Infesto clamore ruunt, inimicaque Colchis
Aequora et aduersos statuunt a litore fluctus.
Tollitur atque intra Minyas Argoaque vela
Stirus abit; vasto rursus desidit hiatu

Vatic. et Bon. *sed ab aethere* habent pro *sedet aethere*. Balbus correxit: *Haud ita, nec summo:* cujus vestigiis insistens Burmannus: *Haud ita: nec segnis — Aut sinit* etc. vel *Immo ita nec* etc. Priorem correctionem adoptavit Delamallus. N. Heinsius audacter, ut solet, emendat *Viderat ut summo* etc. vel *Vidit et haud summo.* Mihi cum Herelio Ep. Crit. p. 72. Harlesio et Wagnero locus minime mendosus esse videtur, modo ita verba ordines: *Haud ita segnis*, n. ut Medea in antro se occultans, (v. 331.) *summo aethere sedet Juno: Haud sinit* etc. quae negandi particula hic cum vi repetitur ut infr. v. 459. Pius, cui adstipulatur Herelius l. c. maluit *Aut sinit* etc. quod fieri potest per hujus particulae usum post negationem v. infr. v. 380. sed non addicunr Mss., qui cum vett. editt. audiendi sunt. Pro *quoniam* v. 336. Aldus *cernens Colchis* dedit sine Codd. auctoritate. Wagner. proposuit *jamjam Colchis.* Frustra v. Burm. v. 337. Cod. Mon. *Dura videt.* Vatic. *accendere.* Vitiose! v. 338. Cod. Mon. *Ipsas ubi.* Heinsius proposuit *Lapsa subit.* Cod. Bon. *tempestatemque.* v. 341. Jure dedit Wagner. *inque unum.* sq. Delamallo. Suaserunt id Pius, Heins. Burmann. et firmant Codd. Reg. Monac. et vis oppositi v. *omnes.* Delamallus T. III, p. 349. vulgatam *inque imum* ferendam esse censet, si *ruunt* active sumatur. Verum poeta docere voluit, ventos vim suam in *unum* locum exseruisse, quo Absyrti classis esset posita. Aldus legit: *Verrentes imum pariter mare:* ex mera correctione. v. 343. Cod. Bon. *nec versos.*

v. 345. Cod. Burm. *Stirus bt:* quod explent Codd. Vat.

Abrupta revolutus aqua. Jamque omnis in astra
Itque reditque ratis, labsoque reciproca fluctu
Descendit. Vorat hos vertex, hos agmine toto

Mon. Vulgata optime se habet. Cod. Vat. 1. *desidet*. Cod. Burm. *dscedit*. Harles. Cod. coll. *descendit:* ceteri *desidit:* itemque 3. Delam. Codd., si tamen ejus silentium pro consensu haberi debet. Cf. de h. verbo Heinsius ad Virgil Aen. III, 555 et Oudendorp. ad Lucan. III. 630. p. 246. 47. qui h. l. *desedit* legit. v. 346. Codd. Burm. et Bon. *in hasta* pro *in astra*. v. 348. verissime Heinsius e Cod. Reg. *vorat* commendavit, recepitque Harlesius. Hanc lectionem aliquatenus stabiliunt Codd. Vat. 1. Heins. Burm. 3. Delam. in quibus *varat;* et in Vat. 2. Heins. legitur *narat*, eamque diserte ex edit. Bon. enotavit Harlesius: et ita inveni in edit. Venet 1500. Edit. pr. *narat*. Editt. Florent. 1517. Paris. 1512. Paris. 1519. *trahit hos*, quae lectio unde sit profecta, nescio, neque in ulla edit. inveni *vocat*, ut ceteras Editiones habere ait Delamallus. Probat *vorat* etiam Drakenb. ad. Sil. Ital. IV, 230. Ceterum hic locus ductus est ex Virgil. Aen. I, 117. cf. Ovid. Metam. XIII, 730. N. Heinsius tacite scripsit etiam h. l. *vortex*, libris non addicentibus; quam scripturam, Grammaticorum praecepta secutus, multis locis obtrusit: v. Virg. Aen. I, 117. et Claudian. in Rufin. 269. Contra Heinsium prudenter monuerunt Drakenb. ad Sil. Ital. III, 475. Oudendorp. ad Lucan. I, 571. Burmann. ad Claudian. l. c., Codices hac in re esse sequendos. Neque tamen horum par ubique est constantia. Ita Cod. Medic. Virgil. Aen. I, 117. *vertex*, sed Georg. III, 241. *verticibus:* ubi mirari licet Interpp. inconstantiam, qui ubi ille Codex antiquiorem scripturam offerebat, recentiorem retinuerunt. Heynius rebus orthographicis in Virgilio, tanq. minutiis, plane supersedit. Santenius ad Catulli eleg. in Manl. p. 44. (Lugd. Bat. 1788.) ex Forcellino docet, esse *vortex* et *vertex* ejusdem originis, quibus Scipio demum Africanus *e* literam dederit, usu tamen obtinuisse, ut *vertex* summitatem, *vortex* turbinem significet. Ceterum assentitur Heynio in Praef. Virgil. p. XXIII, ed. 1788. et ad Georg. III, 241. Equidem, ut, quid de hac re statuam, paucis addam, scripturam *vortex* antiquioribus, *vertex* recentioribus vindico. In multis enim verbis observare licet, graviorem et sonantiorem eorum pronuntiationem et scri-

Gurges agit, simul in vultus micat vndique terror;
Crebra ruina poli coelestia limina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit;

pturam transiisse in leniorem suavioremque, atque principem in poetis et antesignanum esse Ovidium, ut alibi prolixius docebo. Idcirco in Virgilio antiquam hujus similiumque verborum scripturam censeo esse restituendam, non auditis librariis, qui suae aetatis usum sequebantur; sed in Ovidio et, qui post eum vixerunt, poetis leniorem illam esse retinendam. Sicut igitur versum ap. Ciceron. Tusc. Q. II, c. 8. ed. Wolf. p. 87. malim scribere: *Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices*, ita h. l. restitui *vertex*. Hanc scripturam ejus, qua Noster floruit, aetatis testatur Quintilianus J. Or. VIII. 2. §. 7, p. 199. ed. Spald. et recte Achaintre Juvenal. Sat. VI, 524. p. 235. *verticibus* vindicavit. Pro *toto* cum aliis, quos Pius memorat, Heinsius *torto*, in quo verbo sibi vehementer placet. Sobrie contra eum disputant Burmann. ad II, 530. et Drakenb. ad Sil. Ital. VII, 412. Hoc loco vox *toto* vehementiam notat: quam vim egregie docuerunt Hemsterhus. ad Propert. II, 13. 49. p. 941. ed. Burm. et nuper Handius meus ad Stat. Sylv. I, 3. p. 391— 93. Burmann. Cod. *gargr* pro *gurges*. In sqq. turpiter se dederunt Heinsius et Burmannus, quorum ille *simili in vultu*, hic *simili vultu* vel *simul in fluctus micat:* quibus hariolationibus sanissimum locum corruperunt. Versu sq. Vulgatam *coelestia lumina*, quam absurde Pius interpretatur *sidera aperit*, servavit Drakenb. ad Sil. Ital. I, 251. et nuper defendit Wagnerus p. 287. sic: nubes ita dehiscunt, ut ipsum coelum conspicere sibi videretur. Frustra! Vnus Cod. Bon. habet *lumina:* ceteri *limina*, quod unice verum est, et a me illustratum ad IV, 28. Tempestas eleganter dicitur *limina coelestia laxare*, quatenus coelum tonitru et fulminibus dehiscere et discedere videtur: v. quos citat Burm. ad h. l. Drakenb. ad. Sil. Ital. I, 251. Wakefield. ad Lucret. VI, 155. T. III, p. 255. h. l. de *violentis imbribus* tantum interpretatur h. s. *congregatis aquis liberat et evacuat.* De re dixi Epist. Critic. p. 56. v. 353. correxi *Transferet* pro *transferat*, quod ante Edit. Heins. in nulla inveni. Unde habeat, non addit; suspicor esse vitium typogr., quod incuriose omnes Intpp. propagarunt.

Hortatur socios media inter proelia Divum:
Transferet ergo meas, in quae volet, oppida dotes
Colchis? et Haemonius nobis subcedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regesque procosque
Profuerit prona haud dubii sententia patris?
An virtus praelata viri est, et fortior ille,
Quem sequitur? jungam igniferos sine carmine tauros,
Saeuaque Echionii ferro sata persequar hydri.
Has adeo interea spectans de litore pugnas
Amborum, victoris eris; jam digna videbis
Proelia, jamque illud carum caput ire cruenta
Sub freta; semiuiri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, sed flammis et olentes sulfure crines.
Vos modo vel solum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Aeeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipsa mouet, diraque leuat maria ardua lingua?
Atque iterum Aesonides, iterum defenditur arte,
Qua solet? haud illi cantus et futile murmur

v. 359. Cod. Bon. Maserii *fata* pro *sata*. Pro *Hoc* sine haesitatione scripsi *has* auctoritate Codd. Vat. Mon. Bon. et contextu flagitante. Stirus, qui remotus a litore in mari pugnabat, non *hoc-de litore* dicere poterat. Miror hanc ἀκυρολογίαν ab Intpp. tam diu toleratam fuisse. Heinsius et Delamall. in suis scriptis pro *spectans* invenerunt *specta*, quod ex compendio scripturae ortum videtur absorpto sibilo et deleta, quae superscripta erat, lineola.

v. 363. Editt. Florent. Lugd. Arg. Pii, Gryph. Colin. *Achivis*. N. Heinsius nec hic ingenio suo pepercit, sed correxit: *murrha conditum Achivi— sed olenti sulphure cernes*. *Cernes* suppetit Cod. Monac: nihilo secius tamen Vulg. servanda est, ut pulchre vidit Burm. Repetendum est v. *videbis*. Expressit Virgil. Aen. XII, 99.
v. 366. Cod. Burm. *et Sol*. In marg. Cod. Harles. *nus* adscriptum, sine sensu. v. 370. Burmann. maluit *Haud ulli*: male. Nam de Jasone haec dicuntur. Codd. Vat. Mon. *aut illi*.

Proderit! Ite, rates, et frangite virginis vndam.
Dixit, et intortis sòcio cum milite remis
Prosilit; at fluctu puppis labefacta reuerso
Soluitur, effunditque viros ipsumque minantem

v. 373. E Codd. Vat. 1. Burm. Vat. Del. Mon. Coki edit. Bon. et Venet. scripsimus *at fluctu:* quod etiam sensus poscit. Ceterae editt. *ac.* Praeivit nobis Delamallus. Pro *Ibat* v. 376. Heinsius, invita Minerva, maluit *Nabat* vel *Vibrat et arma furens.* Saepe verba eundi a terra ad mare transferuntur: v. ad I, 271. et Tzschucke ad P. Mel. Vol. III, P. II. p. 118. Idem Heinsius v. sq. proposuit legendum *Arripere et remos et prendere.* Temere et audacter! *Incipere* ut gr. ἀρχεσθαι ita saepe cum alius verbi infinitivo jungitur περιφρασικῶς: Catull. LXXXI, 2. *quem tu diligere inciperes* pro *diligeres* v. Scaliger ad h. l. et Markland in libro *Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus and of Br. to Cicer.* p. 28. et Casaubon. ad Evang. Lucae I, 1. Praeclare autem Heinsius v. 378. correxit *aliis puppibus*, pro *altis*, quod friget, adeoque ineptum est non tam quod illae naves planae fuerunt, ut Wagner. ait, quam quod orationis contextus flagitat. Stirus n. fracta sua nave, *aliis* voces intendit, ut sibi natanti auxilio veniant; ast inter tantos fluctus succurrere nulla potest. Nil certius! Quare hanc emendationem textui inseruimus. Simile mendum vidimus v. 279. v. 380. Mss. admodum variant: *aut illa velit* Vat. 1. Edit. pr. Paris. 1512. Flor. Paris. 1519. Pii. Ald. scil. Medea, quae lectio aliquatenus ferri posset, si haec verba Stiri essent, qui hanc tempestatem a Medea excitari suspicatus erat v. 367. sed sunt verba narrantis poetae. Probat eam tamen Heinsius. Codd. Vat. Del. Burm. Mon. Coki *aut ille velit* n. Stirus, qui terram quaesierit: quae quomodo cohaereant, non exputo. Cod. Bon. Maser. Reg. editt. Venet. Arg. Lugd. *haud ulla velit.* Maser. *haud illa velit.* Savellicus, prob. Maserio et Barthio Adv. XIV. c. 6 *haud nulla velit* correxit. Balbus *aut ulla velit*, quod inde in omnibus Editt. comparet. De commistione particularum *haud* et *aut*, antecedente negatione vid. v. 282. et 335. Virg. Aen. II, 779. 786. III, 43. 162. IV, 502. Miror, neminem animadvertisse vulg. ἀσυσασίαν. Quid enim hoc est: Stiro navis nulla succurrerepotest neque ulla vult. Quidni? At

Tunc quoque et elata quaerentem litora dextra.
Ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem;
Incipit et remos et quaerere transtra solutae
Sparsa ratis, moestas aliis intendere voces
Puppibus; ast inter tantos subcurrere fluctus
Nulla potest, aut vlla valet; quotiesque propinquat,
Tunc aliud rursus dirimit mare. Jam tamen errat,

naves opitulari voluisse, docent sqq., sed, quoties appropinquarint, a maris aestu fuisse impeditas. Porro cur poëta Conj. *velit* posuit post Indic. *potest*. Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον! Quare nostra correctione, quam textu reposuimus, mendosum locum persanasse videmur. Vtraque vox saepe componitur: v. c. Cicero ad Attic. IV, 3. *quantum potes et vales* et *valere* et *velle* aliquoties confunduntur v. c. Virgil. Aen. XI, 327. Lucan. II, 289. qui locus scribendus est: *Sidera quis mundumque valet spectare cadentem Expers ipse metus?* Sueton. Jul. Caes. c. 79. ubi Wolfius p. 99. recte monet, utriusque verbi vim esse distinguendam. Nostram emendationem sqq. omni eximunt dubitatione.

v. 381. Revocavimus omn. Codd. et editt. lectionem *errat* pro *exstat*, quod ab Aldo typis, ut videtur, errante profectum Zinzerlingus probavit et Heinsius temere primus textui intulit, sqq. omn. deinceps Interpretibus. Nos sine cunctatione textu expulimus. *Exstat* n. ex aquis idem est, quod v. sq. *fundoque ab imo erigitur*. Idem Aldus pro *violentus* dedit *revolutus* probante itidem Zinzerlingo: utrumque arripuit Heinsius et *Jamque iterum exstat* vel *jam jamque fere exstat - revolutus ab imo* inconcinne correxit. Videlicet poeta triplici modo Stirum navi excussum sua designat. Cum enim nulla alia navis natanti posset succurrere, *errat* in fluctibus, huc illuc agitur, jactatur undis, jam *abiit*, evanuit submersus aquis, *jam erigitur*, in conspectum emergit; sed iterum fluctus adest et eum sub altis figit aquis. Nil clarius! Locum non expedit Wagnerus, voce *exstat* praepeditus. Post *figit* supple *eum* sc. Stirum, unde a seq. *cessit* eliciendum est subjectum. Nil hac ellipsi frequentius: v. c. Lucan. II, 509. *Captivum traxere ducem, civisque superbi Constitit ante pedes.* sc. dux; IV, 205. *foedera pacis Cognita Petrejo, seque et sua tradita verum Castra videt* sc. Petrejus;

Jamque abiit, fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur; sed fluctus adest, magnoque sub altis
Turbine figit aquis, et tandem virgine cessit.
Absyrtus visu moeret defixus acerbo,
Nec quid agat, qua vi portus et prima capessat
Ostia, qua possit Minyas inuadere, clausos
Quos videt adnoscitque fremens; maria obuia contra
Saeuaque pugnat hyems totusque in vertice pontus.

VI, 227. *Perque cavas terrae quas egit carmine*, sc. terra: quae loca attulit Oudend. ad Lucan. II, 218. p. 122. et eundem vide ad Jul. Obsequent c. 60. Ita infra v. 399. *expediant donec Junonia sese Consilia atque aliquam bello ferat anxia finem* sc. Juno. Hinc apparet Heinsii temeritas, qui haec verba mutare voluit in *Stygiaque voragine pressit* vel *mersit*, *tantaque* vel *vastaque voragine* vel *hianti in gurgite sepsit*. Dicitur *re* et *rem cedere*: v. Burm. ad Quintil. J. Or. II, 1. et ad Vellej. II, 8. 5. eodemque sensu *cedere* occurrit Virgil. Aen. XI, 359. Editt. Flor. Pii *equis* pro *aquis*.

v. 388. Etsi omn. Codd. etiam Coki, et editt. vett. *tremens* habent, retinui tamen *fremens*, quod Cod. Vat. 1. suggerit, ob v 390. Ita ante Heinsium jam correxerat Sabellicus. Vtraque vox saepe locum commutat; vid. quos laudat Drakenb ad Sil. Ital. XVII, 259. Cod. Reg. *ne quid agat*: inde Heinsius lusit *Heu, quid* vel *sed quid agat*. Incidimus post *invadere*, ut *clausos* ad sqq. pertineat, ut Pius, Junt. Aldin. Colin. Arg. et Gryph. Santenius ad Catull. eleg. in Manl. p. 44. h. l. corrigit *tortusque in vortice pontus*: v. supra 358. Heinsius *motusque a gurgite pontus*. Frustra! De formula *totum* esse in re dicam ad I, 636. Designatur vero mare tumultuosum, ventis concitatum, quod verticis instar agitatur. Inepte igitur Pius, Burmann. Wagner. Delamallus, qui haec verba de mari supra caput Absyrti accumulato capiunt. Pessime autem vulgo v. *pontus* cum sqq. *abscessit* jungitur, etiam in editt. Burm. et Harles. Bipontinos primum video posuisse punctum post *pontus*: recte! Pro *abscessit* Cod. Bon. *ascendit*: Ald. *ascedit*: ego cum Pio mallem *abscedit* sc. Absyrtus: nam ad v. *pontus* referri nequit ob vv. *vanaque recedit ab ira*.

Abscessit tandem vanaque recedit ab ira
Et tanta de clade ratis. Latus inde sinistrum
Aduersamque procul Peuces defertur in oram
Cum sociis: gemino nam scinditur insula flexu
Danubii. Hac dudum Minyae Pagaseaque puppis
In statione manent; illinc Aeetius heros
Obsidet aduersa tentoria Thessala classe
Inpatiens, pugnaeque datur non vlla potestas.
Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
Perfurit, expediant donec Junonia sese
Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyae tanti reputantes vltima belli
Vrguent, et precibus cuncti fremituque fatigant
Aesoniden: Quid se externa pro virgine clausos

v. 391. Nota praepositionem *in* priori substantivo omissam et alteri *oram* adjunctam; uti ab utriusque linguae scriptoribus fieri passim solet: cf. Ruhnken. Ep. Crit. I, p. 130. Lobeck. ad Sophocl. Ajac. p. 283. Herrmann ad Viger. p. 854. Bentlej. ad Horat. III, od. 25, 2. Cuninghamus Animadv. ad Horat. p. 246. et Heynius ad Virgil. Aen. VI, 692. *Cum sociis* legitur in edit. Bonon. et ita Maserius et Barthius Advers. XIV. 6. sed Cod. Monac. edit. pr. Junt. Pii. *Cum socii.* In editt. Florent. Paris. 1519. et Antwerp. 1566. post *oram* positum est punctum et, verbis *gemino — Danubii* parenthesi inclusis, jnnguntur *Cum socii - hac dudum Minyae*: quae distinguendi ratio dura est. *Socii* sunt Albani, qui Stirum secuti erant. Cod. Burm. *oscula* pro *insula.* Cod. Monac. *at dudum*; ed. pr. et Bon. *ac dudum.*

v. 403. Retinui *clausos*, quodHarlesius primum ex edit. Bon dedit et Heinsius in aliis legi monet, sqq. Bipont. Wagnero: etsi ab ed. pr. omnes usque ad Burmannum *clausa* habent. Codd. Vatic. 1. et Vat. Delam. Monac. *clausas*, quae lectio ambigi potest, num ex *clausa* an *clausos* fluxerit. Ego veram esse puto lectionem *clausa*, non offensus binis epithetis sine copula positis: de qua re vid. Epist. Crit. p. 52. et prolixius exponam ad III, 258. Cum contemtu mihi dicta videtur ab Argonautis Medea *virgo externa* eaque *clausa*, (v. supra v. 331.), quae facili ne-

Objiciat, quidue illa pati discrimina cogat?
Respiceret pluresque animas majoraque fata
Tot comitum, qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, sed sola sese virtute sequantur.
An vero, vt thalamis raptisque indulgeat vnus

gotio tradi queat. Enim vero etiam *clausos* se tueri potest. v. 387 et 396. Vtut est, hoc pro explorato ponere licet, neque Balbum corrigendo *cladi*, neque Schelium *classi*, quam emendationem Delam. praecipiti judicio in textu reposuit, nedum Heinsium *claustro* poetae manum exhibere. De *objiciat* sine dativo objecti dixi ad I, 199. v. 406. omn. Codd. et editt. vett. *furiis*, pro quo Heinsius praeclare *furtis* correxit: d. q. voce v. Markland ad Stat. I, 1. p. 214. ed. Hd. et pro *amore nefando* omn. Cod. et ed. pr. *nec more nefando*: quam lectionem, fateor, mihi non prorsus displicere. Versu sq. *sese* pro *eum* n. Jasonem dictum esse patet, sed v. 403. *se* usitata potestate adhibetur, ubi Pius eandem agnoscit catachresin, de qua multis exposuit Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 33.

v. 408. omnia sana sunt. Balbus et Heinsius, quorum ille: *it tempus enim*, hic *Conjugiis, id tempus emi?* legendum proposuit, sensum loci prorsus non ceperunt. Inest acerba ironia, quam jam Pius pervidit. *Vellere* maluit Maserius junxitque c. *oblata virgine*. Ita rumpuntur concisa orationis membra, quibus elegantia et vis subest, ut nemo non sentit. v. 411. N. Heinsius conjecit *ne Marte*, qua correctione tenuior evadit oratio. Recte vero Maserius Balbusque *committat*, pro *commutet*, ut Cod. Bon. ed. pr. Flor. Paris. 1512. et 1519. Junt. Ald. habent; sed Venet. 1500. *committet*, Pius *committat*. Wagnerus existimat, Argonautas Erinnyos nomine intellexisse Medeam, et poetae obversatum fuisse Virgilium Aen. II, v. 573. ubi Helena *Trojae patriaeque communis Erinnys* vocatur: quod dubito ob seqq. Nam vide mihi loci tenorem, et fateberis, versu 414, scribendum fuisse, uti reposuimus. Vulgata enim *irent magis ipsa nepotes* jure meritoque omnes Intpp. offendebat, et contorte *ipsa* ad *incendia* referunt, quae v. sq. memorantur. Propius a vero abfuit Pius, qui *ipsa* sc. *bella* supplevit. N. Heinsius ingenio hic abutitur et corrigit; *irent transcripta nepotes* et in Adversar. p. 541. *ratum* pro *datum* et *ut in seros iret maris ira nepotes*: qua in emendatione ne urgueam *κα-*

Conjugiis? id tempus enim. Sat vellera Grajis,
Et posse oblata componere virgine bellum.
Quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima haec committat Erinnys.
Namque datum hoc Fatis, trepidus subplexque canebat
Mopsus, vt in seros iret magis ista nepotes,
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum tantis ac vocibus inpar

κοφωνίαν, non liquet, quae tandem sit intelligenda maris ira et quo pacto cum seqq. sit concilianda. Burmannus itidem emendat: *irent mage bella* vel *iret magis ira*. Nodellius Notar. Critic. c. III, p. 85. *ista* mecum correxit *pro ipsa*, sed intelligit mala prius memorata, adstipulante Wagnero: quod languet. *Ista* legitur in edit Bon. 1498. Venet. 1500. quod unice verum, modo intelligas mecum e versu 412. *Erinnys* i. e. bellum, ut III, 19. IV, 617. V, 147. et sexcenties alibi. Nexus vero est: Argonautae suadent Jasoni, ut Medeam tradat, nec Europam Asiamque nunc bello committat, quia Mopsus cecinerat, fatis constitutum esse, ut potius ista Erinnys, illud bellum, quod nunc abducta Medea inter utrumque terrae orbem oriri possit, *in seros nepotes iret*, serius exarsurum esset, atque alius raptor, Paris, tale belli incendium lueret. Conferenda est Iovis oratio I, 545-55. *via facta per undas*, *Perque hiemes*, *Bellona*, *tibi*:- *manet proprior de virgine rapta Ille dolor*:- *veniet Phrygia nam pastor ab Ida. Qui gemitus, irasque pares et mutua Grajis Dona ferat. Qua classe debinc effusa procorum Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas! Quot proceres natosque deum, quae robora cernes Oppetere et magnis Asiam concedere fatis!* Particulam *magis* pro *potius* a Nostro usurpari, docui ad I, 74. De vi pron. *ista* exposuit Burmann. ad Propert. I, 7, 23. p. 80. Cod. Coki *et* pro *ut*. Recte vero *incendia* Intpp. explicant de bello, citatque Burmann. Justin. IX, 3. adde Virgil. Aen I, 566. et Klotzium ad Tyrtae. p. 90. Hoc bellum Paris incensurus erat inque eo obiturus.

v. 416. Codicum vitiosam lectionem *est acris ubi conscia* bene emaculavit Pius. Heinsius in scriptis invenit *est acri*. Burm. Cod. *et acris*. Vatic. *ibi conscia*. Edit. Venet. *est acris ubi*. Copula *et* in omn. editt. ante Burmann. abest. Vitiose

(Quamquam jura Deum et sacri sibi conscia pacti
Religio dulcisque mouent primordia taedae)
Cunctatur, mortemque cupit, sociamque pericli
Cogitat, haud vltra sociis obsistere pergit.
Haec vbi fixa viris, tempus fluctusque quietos
Exspectant; ipsam interea, quid restet, amantem
Ignorare sinunt, decretaque tristia seruant.
Sed miser vt vanos, veros ita saepe timores
Versat amor, fallique sinit nec virginis annos.
Ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit

in editt. Argent. Colin. et Gryph. *cunctator*. v. 423. Burmannus temere *tristia celant* correxit pro *servant*.

v. 426. Cod. Coki *prius*. v. 431. locus hiulcus, cui suum restituit nitorem Heinsius: *Me quoque, quid tecum Minyae movent, liceat cognoscere*: quam correctionem recepit Delamallus, Cod. Monacensis auctoritate, ex quo tamen *si tecum* non *quid tecum* enotavit. Cod. Vatic. 1. *vittae cum*. Cod. Burm. *fortissime*. Conjecit etiam Heinsius: *quin tecum*. Ambigo, quid faciam. Burmannus servandum censet *vir*, qua compellatione Medea Jasonem conjugii voluerit admonere. Wagnerus ita expediit locum: me sollicitam habent Minyae: hoc tamen mihi dicas, num captiva sim vestra in navi, an non conjugem, sed dominum decepta sequar. Neutra ratio satis facit. Apollonius Rhod. IV, 355. Αἰσονίδη, τίνα τήνδε συναρτύνασθε μενοινὴν ἀμφ' ἐμοί; firmat potius Heinsii emendationem, quam vulgatam. Codd. Bon. et Coki *non sim captiva*. v. 440. Prisci Codd. *His reddere — Fas habeant*: Cod. Burm. *his reddere terris* pro *forsan*, sed *terris* correctum erat. Vnde in editiones venit *his reddere forsan Fas: abeant, tibi* etc., quae lectio nuper patronum nacta est Delamallum. Sed sensus, quem verbo *abeant* subjiciunt, ut sit: illis domum abeundi est potestas, non tibi, quem potius mecum traham, admodum friget. Cum omnes Codd. et editt. vett. habeant *his reddere*: nam *hi* primum in edit. Lugd. comparet neque ullius auctoritate Codicis nititur; et cum solenne sit Nostro verbum *est* omittere, ut v. 435.; mihi placet: *His reddere forsan Fas: habeant, tibi non* etc. hoc sensu: *His - forsan fas sit me reddere* et *habeant* sc. fas, *sed tibi non* etc. Non enim hic est sermo de abeundi po-

Non fidi jam signa viri nimiumque silentes
Vna omnes. Haud illa sui tamen inmemor vmquam,
Nec subitis turbata minis, prior occupat vnum
Aesoniden, longeque trahit, mox talibus infit:
Me quoque, vir, tecum Minyae, fortissima pubes,
Nocte dieque mouent; liceat cognoscere tandem,
Si modo Peliacae non sum captiua carinae,
Nec dominos decepta sequor, consultaque vestra
Fas audire mihi. Vereor, fidissime conjux,
Nil equidem; miserere tamen, promissaque serua
Vsque ad Thessalicos saltem connubia portus,
Inque tua me sperne domo. Scis te mihi certe,
Non socios jurasse tuos; his reddere forsan
Fas: habeant, tibi non eadem permissa potestas.
Teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor
Virgo nocens, atque hac pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei patriaeque biremes

testate (v. infra 450.), sed de tradenda Medea, cui servandae et in matrimonium ducendae religione se obstrinxerat Jason; Argonautae vero, qui non nisi assensi erant illi conjugio, jus habuerunt tradendi Medeam in suam ipsorum salutem. Convenit abrupta haec oratio commoto Medeae animo: quare Codicibus obsecutus hanc lectionem reposui. Displicet Burmanni correctio: *his reddere fors sit Fas: abeant*. Codd. Heinsii *promissa potestas*.

v. 442. Cod. Burm. ed. pr. et ed. Bon. 1498. et Venet. *huc pariter* atque quosdam ita legere Pius notat. Heinsius tentabat *aeque hac pariter*, adhibito Plautinae dictionis exemplo. Idem ingenio abusus suo vers. sq. maluit *tela* vel *vela* pro *bella*. Gravior Aldi lectio *At fratris te bella mei*, quae non immerito Burmanno placet; *at* enim objectioni inservit. v. 447 Maserius inepte *Non metui*. Heinsius correxit *Martemque tuum*, quam emendationem Burmannus docte adstruxit et Wagnerus approbavit. Habet, fateor, magnam commendationem ab elegantia, nequaquam tamen a necessitate. Nam *mors* h. l. significat saepe, ut gr. θανατὸς, mortis periculum, vitae discrimen, ut docui ad II, 469.

Terrificant, magnoque impar vrgueris ab hoste?
Finge rates alias et adhuc majora coire
Agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem nostri tetigissent litora patris
Te sine, duxque illis alius quicumque fuisset.
Nunc remeant, meque ecce (nefas) et reddere possunt,

v. 450. revocavi vulg. *possunt* pro *poscunt*, quod Wagner. et Delamallus dederunt sine Codd. testimonio; nam Maserius ab aliis tantum sic legi notat et Casaubonus in ora Cod. sui idem emendaverat, non perspecto loci sensu ac consilio. Idem accidisse videtur Interpretibus v. 453. cujus sententiam prorsus ignorarunt, et temere verba mutarunt. Omn. Codd. et editt. usque ad Heinsium *qui* s. *quis se tunc jungere*. Cod. Reg. *quis enim jungere*, unde Heinsius fecit *quis te nunc jungere:* quae correctio abhinc locum in textu occupavit. Sed quomodo cum hac lectione praeteritum *Credidit* conciliari debeat, nemo docuit neque ullus hanc difficultatem sensisse videtur. Etenim quam inconcinnum hoc est: *quis credidit, te nunc — posse* pro *quis credat, te* etc.; praesens n. tempus flagitat orationis contextus. Reduxi igitur Codicum et vett. editt. lectionem, cujus sensus et nexus hic est: Medea aegre ferens, quod Jason nimio sociorum timori cedat neque nunc respiciat consilia, quibus olim confisus esset, neque auxilium in praesenti periculo ab ipsa speret, acerba ironia Jasoni in memoriam revocat timiditatem, qua correptus Colchide ad ipsius opem confugerit, eumque interrogat: *quis credidit*, speravit, sibimet soli confisus est, *se tunc temporis jungere posse tauros et venturum esse ad templa draconis?* n. sine meis consiliis atque auxilio. Tacite respondere debebat Jason: Non ausus sum sine te et castigandus sum, qui te nunc spernam et cum maxime animum despondeam! Vim habet illud, quod Medea de Jasone tertia persona loquitur, sicut in tota hac Medeae oratione magnum est artificium. Quae sequuntur meam interpretationem confirmant. *O utinam*, ait Medea, *meus amor non omnia pro te potuisset atque aliquid dubitasset.* Codd. Heinsii, Burm. Delam. et ed. pr. *Reddidit* pro *Credidit*, quod vitium ex omissa litera initiali ortum est, ut saepe factum esse videmus: v. Dra-

Nec spes vlla super. Quin tu mea respice saltem
Consilia, et nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis se tunc jungere tauros
Posse? quis ad saeui venturum templa draconis?
O vtinam ergo meus pro te non omnia posset,
Atque aliquid dubitaret amor! Quin nunc quoque quaerit,
Nescio quid, tuus iste pudor. Mene, optime quondam
Aesonide, me ferre preces et subplicis ora
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat, haud dare poenas
Jam sceleris, dominumque pati. Sic fata parantem
Reddere dicta virum furiata mente refugit
Vociferans. Qualem Ogygias quum tollit in arces
Bacchus, et Aoniis inlidit Thyiada truncis;

kenb. ad Sil. Ital. VI, 473. et IX, 297. Pro *ardentes* Heinsius maluit *aeripedes*, de qua voce dixi ad VII, 545. Vulgatam tuetur ipse poeta v. 466. et VII, 587. v. 455. Cod. Bon. *te nunc omnia.*

v. 456. Codd. Pii. Vatic. 1. 2. Monac. Burm. Coki ed. pr. *quaere*; Cod. Bon. *quaero*; Cod. Reg. *quaeret.* Edit. Venet. *quaero*; Editt Paris. 1512. Florent. Ald. *quare.* Pius, quantum intellexi, primus dedit *quaerit:* quae lectio num poetae manum exhibeat, addubito, quem potius scripsisse censeo: *Quin nunc quoque quaere — Nescio quid tuus iste pudor* — hoc sensu: Age, inquit Medea, quaere, exige aliquid a me, scilicet ut artibus, quibus polleo, magicis in fratris perniciem utar, quo interemto nos salvi sumus. Pudet vero eam dicere, quod animo volvit, et pergit: *Nescio quid* (i. e. cur) *tuus iste pudor* — sc. cunctetur, illud a me postulare. Aut fallor, aut talis intercisa et abrupta oratio praeclare convenit Medeae ad quaevis pro Jasone suaque salute audenda paratissimae, et hac lectione restituta Codicum auctoritati satisfit. Interim tamen in recept. lect. acquievi, VV. DD. judicium exspectans. Heinsius proposuit *quaerat* sine successu. v. 459. Cod. Bon. ed. pr. *aut dare:* quod maluit Heinsius recepitque Delamallus. Temere: vid. supra v. 335. v. 460. in Cod. Burm. defuit.

v. 463. Ego primus reposui egregiam Heinsii conjecturam *Thyada* pro inepta Vul-

Talis erat, talemque jugis se virgo ferebat,
Cuncta pauens: fugit infestos vibrantibus hastis 465

gata *tympana:* illam h. l, et ad Claudian. I. in Rufin. 312. p. 58. ed. Burm. erudite illustravit eamque Codicis Vatic. lectio *tyana* stabilit. Cur *Thyiada*, non *Thyada* scripserim, exposui ad III, 265. Confirmat hanc correctionem solennis illa hominum impotentia animi quocunque affectu commoti discursantium et exultantium cum Bacchis comparatio: de qua re v. Mitscherlich ad Homeri H. in Cerer. p. 202.; propugnat porro eam manifesta Virgilii Aen. IV, 301. sq. imitatio; denique poscit *Thyada* ratio grammatica, quia, retenta Vulgata, non habes, quorsum referas *qualem*, itemque versum sq. *Talis erat talemque — ferebat.* Jure eam approbarunt Dorvillius ad Charit. p. 587. ed. Lips. et Burmann. Sec. ad Anthol. Latin. T. I. p. 170. *Qualis quum* in comparandi formulis usitate occurrit v. c. Virgil. Georg. I. 757. III, 196. Aen. III. 679. et VIII, 622. poniturque pro *qualiter* v. Mitscherlich. in Observatt. ad Catull. et Propert. p. 119. *Arces* h. l. montes, ut III, 565. et v. Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 305. De *montibus Ogygiis*, vid. Spanhem ad Callim. T. II, p. 35. ed. Ern. Cetera verba sana sunt, etsi singularia, quibus tamen Noster delectatur: v. ad V, 252. Quare rejicio *pellit*, quod olim in Epist. Crit. p. 94. pro *tollit* proposueram, et eodem numero habendae sunt conjecturae Burmanni, qui pro *illidit* tentabat *instigat* vel *impellit*, ut III, 265. quod posterius Wagnero placuit. Burmannus Sec. ad Anthol. Latin. T. I, d. 170. conjecit *incendit:* quae emendandi pericula non necessaria sunt. Poeta invertit orationem pro *Aonios truncos illidit Thyiadi* i. e. instigat eam thyrso, veluti ferula. Sensu improprio occurrit ap. Lucret. I, 922. *Percussit thyrso laudis.* De v. *illidere* dixi ad VII, 52. *Truncus* vero, qui omnino ramum, foliis privatum, denotat, ut v. 303. Virgil. Aen. VI, 207. h. l. de thyrso usurpatur non magis insolenter, quam de eodem *hasta* ap. Virgil. Ecl. V, v. 29. Ovid. Met. III, 667. et Nostrum II, 269. v. Intpp. ad Nemesian. III, 64. p. 519. ed. Burm. Miratur Burmannus, quo modo Thyias thyrso potuerit illidi, cum ipsa sit *ναρθηκοφόρος*; sed Bacchus passim repraesentatur Bacchas thyrso agens per montes et ad furorem incitans, ut ap. Euripid. Bacch. v. 131 — 135.

Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret et Tempe viridi lucentia fumo:
Hoc visu contenta mori. Tunc tota querelis
Egeritur questuque dies, eademque sub astris

ed. Matth. et Catull. LXIV, 391. *Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo Thyiados effusis evantes crinibus egit*; vel poeta respexit veterum opinionem, qua eos, qui thyrso a Baccho fuerint percussi, in furorem agi statuebant: hinc Ovid. Heroid. XIII, 33. *Vt quos pampinea tetigisse Bicorniger hasta Creditur; huc illuc, quo furor egit, eo*; et alibi hujus *ναρθηκισμοῦ* mentio fit. Ceteroquin hic quoque locus docet, quod alibi jam animadvertimus, Val. Flaccum, dum exemplum suum, Virgilium, imitando superare eniteretur, rebus ornandis variandisque evasisse obscurum et perplexum. Inepte Wagnerus v. 464. v. *jugis* de transtris interpretatur, cum juga montium sint intelligenda, ut docet v. 467.

v. 467. Jure rejecit Heinsius *rupes*, quod pro *nubes* tentabat; vulgatam tuentur seqq. In Cod. Vatic. 1. aberat *viridi*, pro quo Cod. Reg. *nigro*, Cod. Burm. et Bon. *fusco*. Erudite Burmannus Maserii conjecturam *viridi-fundo* et Heinsii *viridi ridentia luco* confutat. Cogitandum de vaporibus a Peneo emissis: Ovid. Met. I, 570. *Tempe, per quae Peneus, ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis: Dejectuque gravi tenues agitantia fumos Nubila conducit, summasque adspergine silvas Impluit*; qui locus maxime huc facit. cf. Burmann. ad Quintil. Jnst. Orat. XII, 10. Oudendorp. ad Lucan. II, 423. et Noster IV, 596. ubi olim plura dabo. Apposite laudat Heinsius Senec. Controv. I, 2. *Quin etiam montes silvaeque in domibus marcidis umbra fumoque viridibus.* Particula *Si* h. l. significat *utinam*, ut gr. εἰ γὰρ: vid. Servius ad Aen. VI, 187. Abreschius in Animadv. ad Aeschyl. p. 96. et Valckenarius ad Theocrit. Idyll. XV. T. II, p. 58. ed. Hdf.

v. 470. *Egeritur* mutare voluit Heinsius in *exigitur*; sed apte citat Burmannus V, 299. *Tantoque paventibus ulla Nox Minyis egesta metu:* et vide de h. verbo Barthium ad Stat. Theb. I, 37. et IV, 818. Cod. Mon. *egreditur*. Odiosa est Burmann. geminatio verborum *querelis-questuque*, proposuitque *fletuque* vel *gemituque*. De hoc VV. DD. fastidio alibi dicendi erit

Sola mouet; moestis veluti nox illa sonaret
Plena lupis, quaterentque truces jejuna leones
Ora, vel orbatae traherent suspiria vaccae.
Procedit (non gentis honos, non gloria magni

locus: hic pauca addam id genus exempla, quae nulli patent emendationi. Supra v. 60. *oculos et lumina:* cf. Lucan. V, 212. Virgil. Aen. IV, 460. *voces et verba.* Aen. VI, 706. *gentes populique.* Aen. VII, 589. *scopuli et saxa.* Lucret. IV, 1260. *more et ritu.* Lucan. I, 452. *Solis nosse deos et coeli numina vobis*, ubi Bentlejus *coeli munera* correxit i. e. animos immortales: quod nemini approbabit. Claudian. in Consul. Stilich. II, 63. *vitaeque et lucis in ipso Limine*, ubi Burmannus *laudis in ipso* temere tentavit, qui prudentius de hac re praecipit ad Virgil. Aen. I, 545. Haec pauca exempla, qualia ὡς κόνις in poetis, h. locum ab omni corrigendi tentamine immunem praestabunt. Cetera sunt paulo obscuriora. Non liquet, quorsum pertineat *eadem:* malim referre ad verba *querelis - questuque* et jungere c. *movet*, quam cum *sola.* Interpretes hic tacent. *Sub astris* explicui ad II, 172. Cod. Burm. *vox illa sonaret.* Cod. Vatic. *plana lupis*, unde male Heinsius *plancta.* Codd. Heinsii, Vat. Bon. Delam. Coki *Bacchae* pro *vaccae;* quod vitium jam Maserius expunxit; et Bulaeus et Weitzius apposite laudant Lucret. II, 352. et Quint. Smyrn. VII, 254. et XIII, 261. Barthius Advers. XIV, 6. correxit *hyaenae*, quod merito retractavit ad Stat. Theb. VI, 189. Heinsius non magis bene *tigres.*

v. 474. De versibus h. in loco transpositis dixi in Dissertatione. Medea e montibus, per quos vagata erat. v. 464. *procedit* habitu sordido et crinibus passis, ut recte jam Pius, quem Burmannus sequi debebat. Verba *non gentis — prora* parenthesi inclusimus, ut *Procedit* jungatur c. verbis: *magnumque minatur.* Verba *gloria magni* desunt in duobus Vatic. Heinsii et edit. pr. quod non monuit Delamallus. Cod. Bon. et ed. Bon. 1498. *non more paterni Solis avi.* Cod. Reg. *non lumine digna Solis:* quod et alios legere monet Pius. v. 476. edit. pr. *radiantia luco*, quod Delamallus adnotare oblitus est. *Chaonius truncus* est ipsa Argo, cujus carina e silvis Dodonae excisa erat: v. I, 303. Pro *altera virgo* Pius maluit *aurea*, sed *altera* est Medea, quia Minerva, tulela navis, prima erat, ut recte Burmann.

Solis aui, non barbaricae decor ille juuentae:
Qualis erat, quum Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ouans, interque ingentia Grajum
Nomina Palladia virgo stetit altera prora;)
Quid dubitas? heu, dure, siles? magnumque minatur.
Moestus at ille minis et nota Colchidos ira
Haeret, et hinc praesens pudor, hinc decreta suorum
Dura premunt. Vtcumque tamen mulcere gementem
Tentat et ipse gemens, et dictis temperat iras,
Mene aliquid metuisse putas? me talia velle?

et Wagner. v. 479. Barthius Advers. XIV, c. 6. *magicumque minatur*, quod jure Heinsius rejecit.

v. 480. Cod. Burm. edit. pr. et Bon. *Moestus et ille.* Cod. Bon. et ed. Bon. *nimis*; sed Cod. Burm. et edit. pr. *minis.* v. 481. Delamallus e Cod. Bon. enotavit *Hinc haeret, hinc ---- hinc decreta.* Cod. Burm. *patris pudor.* Edit. pr. *hic praesens — hic.* Versu sq. ed. pr. *Cura premunt.*

v. 483. Foedum vulnus, quod h. versu omn. Intpp. senserunt quidem, nullus tamen sanare potuit, destituti Codicum auxilio, qui ad unum omnes *et tempora currere dictis* habent, nuper persanavit Delamallus e Cod. Monac., optimae notae libro, cujus lectionem textui inseruimus. Illustre hoc est exemplum stuporis librariorum! Frustra igitur fuerunt, qui huic versui sensum conciliare studerent variis corrigendi tentaminibus. Ita ante Pium aliqui *fallere* scribebant; ipse Pius *ducere*, quod et Burmanno in mentem venit; Heinsius *quaerere*, Harlesius *carpere* tentabant; Wagnerus inter *ducere* et *quaerere* ambigebat. Carrion h. versu in recentioribus vulgatis carmen finiri ait; sed praeter eum nullus hoc adnotavit Intpp. et in omnibus, quas ego inspexi, Editionibus inveni versum 484. si discesseris ab edit. Pii, qui h. versum primum fecit reliquorum libri VIII. quae ex Apollonio Rhodio consarcinavit. Pro *meruisse* reposui *metuisse* ob v. 452. quod jam placuit Barthio Advers. XXVII. c. 3. Weitzio et Wagnero. Hoc autem versu filum carminis et vitae Val. Flacc. praeciderunt Parcae!

Nonnulli veterum interpretum suspicati sunt, Valerium Flaccum Argonautica sua ad umbilicum perduxisse eaque,

quae hodie desiderentur, librariorum socordia periisse. Quod quam temere opinati fuerint, ostendam in Prolegomenis Edition. Argon., ubi de vita poetae ejusque carmine prolixius sum expositurus. Obiit Valerius Flaccus in ipso aetatis flore, nec potuit proh dolor! carmen, ridentibus Musis inceptum, finire, nedum ei ultimam manum admovere. Aequales immaturam ejus mortem deplorarunt, teste Quintilian. Inst. Orat. X, 1. et posteri jure meritoque ei secundum post Virgilium locum assignarunt. Joannes Baptista Pius, Bononiensis, eruditus sui seculi homo, et de Valerio Flacco inter antiquos interpretes longe meritissimus, multo studio ac labore deficientem Argonauticorum partem ex Apollonio Rhodio consarcinavit neque tamen operae pretium fecit, quia Valerius Flaccus Alexandrinum poetam in singulis quidem locis secutus est, nequaquam vero in totius carminis descriptione atque ambitu: quod P. Terentium Varronem Atacinum fecisse constat. Sed haec et alia, quae huc pertinent, alibi cum cura persequemur.

DE

VERSIBUS ALIQUOT

P. VIRGILII MARONIS ET C. VAL. FLACCI

INJURIA SUSPECTIS,

DISSERTATIO.

Cum ars critica tota constet ex diversis rerum antiquarum studiis variisque artibus, in quibus singulis excellere arduum est ac difficile, tum haec praesertim ejus pars, quae in secernendis genuinis ab adulterinis continetur, perdifficilis est maximamque sagacitatem et quandam mentis divinationem cum interioris doctrinae cultu conjunctam nec mediocrem prudentiam et modestiam requirit. Quae ingenii virtutes quum in uno eodemque homine rarissime sint conjunctae, necdum ipsius hujus disciplinae, latissime patentis, usus certis legibus ac prae-

ceptis, via ac ratione traditis, sit circumscriptus; non est, quod miremur, nusquam gravius frequentiusque a Viris Doctis esse peccatum, quam in indagandis spuriis oppugnandisque iis, quae ommium consensu aetatum genuina habebantur. Namque in hac, quam sublimiorem vulgo vocant, artis criticae parte Viri primarii ita saepe suo indulserunt ingenio, ut, quo quis plura scriptorum antiquorum loca in νοθείας suspicionem vocare eamque qualibuscunque firmare posset argumentis, alter altero sibi videretur esse ingeniosior majoremque acuminis et sollertiae laudem mereri. Quo factum est, ut in utriusque linguae scriptoribus permulta hodie inveniantur loca, tanquam librariorum male feriatorum ἐμβλήματα, vel textu ejecta vel asterisco notata et perforata obelo, quorum genuina origo evidentius demonstrari docerique possit. In contrariam partem olim peccatum est ab Editoribus, qui, aut nimia ducti religione aut quodam mentis stupore et socordia praepediti, manifestissima monachorum additamenta secure in textis tolerarunt adeoque defenderunt. Adversus horum ἀκρισίαν graviter, sed vere disputarunt Ruhnkenius in Epist. Crit. ad Valcken. I, p. 5. et Schraderus Emendat. Lib. c. X, p. 200. atque feliciter Criticorum, quos nostra aetas tulit, sollertia et acumine eversa est inveterata ista ac puerilis Grammaticorum superstitio, qua, sec. Macrobium Saturn. L. V.

c. 3. p. 480. ed. Zeun. *tria ex aequo impossibilia judicabantur, vel Iovi fulmen, vel Herculi clavam vel versum Homero subtrahere.* At enim vero hac quoque in re locum habet illud Horatii dictum: *Iliacos intra muros peccatur et extra.*

Ex quo enim principes illi Criticorum in notandis et exstirpandis locis, quae nobis mala fraus imposuerat, exemplum praeiverant, tanta invasit multos laudis ex hac re captandae cupido, ut vix quidquam adversus eorum suspiciones fuerit satis munitum, et is, qui novam nunc scriptoris cujusdam editionem sit paraturus, praecipuam curam explorandis his VV. DD. dubitationibus et vindicandis ejusmodi suspectis locis debeat impendere. Praeclare id nuper docuit Godofr. Hermannus in Dissert. de versibus spuriis ap. Aeschylum. Lips. 1814. sobrie, ut solet, et docte adversus hanc mirabilem quorundam licentiam disputans.

Enim vero non inficiandum est, habere hanc Critici provinciam, ut ingentes difficultates, ita etiam propria quaedam lenocinia, quae erectioris virum ingenii pellicere et facile in devia erroresque abripere queant. Juvat enim indagare malam tenebrionum istorum fraudem, dispudetque diutius ludibrio haberi ab iis, quorum importuna sedulitas atque impudentia nobis multa pro veris ac germanis venditare et impingere sustinuit. Neque sane ultima laus est, si quis, acri adjutus judicandi facultate,

ea, quae eruditis multorum seculorum hominibus fraudi fuerunt, falsa esse et supposititia pervidit idoneisque rationibus eorum νοθείαν probavit. Atque larga adhuc restat messis, hoc in campo facienda, neque ullus utriusque linguae invenitur scriptor, quin in ejus operibus, sive pedestri sive ligata exaratis oratione, expungendae supersint id genus sordes et ramenta.

In prosae quidem orationis scriptoribus mihi ea res videtur esse judicatu difficilior, non tam quod hi minus rariusque, quam poetae, patuerint malae librariorum supplendi addendique industriae, quam quod saepe ipsi auctores scriptis suis quaedam inseruerunt, quae fallacem additamenti speciem prae se ferant et incautum Criticum praecipitem agere possint. Rem uno itemque altero exemplo illustratam dabo. Ita vocabulorum interpretationes, quibus praefigi solet formula: *id est*, sunt multi, qui pro glossematis habeant. Burmannus v. c. et Oudendorpius, uterque linguae latinae callentissimus, Suetonii Octav. c. 88. locum: *Orthographiam, id est, formulam rationemque scribendi a Grammaticis institutam*, de glossemate suspectum habent, quem recte vindicavit Ernestius, et gemini loci ap. Cicer. d. N. D. I, 1. 1., ubi Heindorfius, Wyttenbachii in Bibl. Crit. P. III, p. 19. judicium et auctoritatem secutus, verba: *id est principium philosophiae* expunxit, gravissimus vindex nuperrime exstitit F. A. Wolfius, ὁ κριτικώτατος, in

Analect. Litterar. Fasc. II, p. 282. et 83. Quare equidem non possum, quin a Baumgarten-Crusio dissentiam, qui in Suetonii Tiberio c. 7. *Agrippinam, M. Agrippa genitam, neptem Caecilii Attici, Equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolae, duxit uxorem;* verba *ad quem sunt Ciceronis epistolae,* e glossemate profecta esse statuit. Eodem enim jure verba *Equitis Romani* in suspicionem vocari possent, quibus, ut illis, Suetonius Caecilium Atticum suis aequalibus accuratius voluit designare. Diversus ab hoc est locus Plinii Epist. II, 11. § 10. ubi verbis *erat enim Consul* uncinos admovendos esse verissime monet eruditissimus Schaeferus p. 88. Nam ineptum erat, scribere amico, non adeo rerum suo tempore gestarum ignaro, Principem tum fuisse Consulem; sed Suetonius de homine loquitur ante sua tempora vivente, quem ne cum aliis confunderent coaetanei, ita monendi erant. Itaque prudenter summam cautionem ac modestiam Editoribus eo nomine commendavit V. D. in Ephem. Jenens. Litter. an. 1816. N. 78 p. 623. Attamen, quantum et in his restet emaculandum Editorum sollertiae, illustri docuit exemplo Martyni Laguna, acerrimi vir judicii, in Ciceronis Epistolis.

In poetis ejusmodi additamenta, uti plura et graviora, ita etiam manifestiora plerumque esse, intelligentissimus quisque scit. Nihilo tamen secius maxima cum circumspectione in

his versandum est, et, antequam secandi undique instrumenta expedias, videndum, ne tui ipsius judicii fallaciis irretitus poetae cuidam versus eripias, tanquam παρεμβεβλημένους, quos ipse perinvito sibi ereptos et abjudicatos velit, et in te cadat dictum Quintiliani Inst. Orat. IX, 4. §. 10. *dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur.* Lubrica sane res multisque obnoxia erroribus, a quibus ut tibi, quantum fieri potest, caveas, haec potissimum tenenda sequendaque esse videntur.

Primum respicienda est cujusvis poetae aetas. Quo quis enim est antiquior poeta, eo certius tutiusque severum hoc judicii genus in eum exerceri poterit, partim quod antiquissimus quisque, ingenio et arte perfectior, rarius de sua virtute ac praestantia aliquid remittere solet, ita ut quaelibet additamenta sponte, veluti sorices, suis se prodant indiciis, partim quod ejus carmina, per longi decursum temporis, frequentius interpolatrices Grammaticorum et Glossographorum manus experta fuisse probabile est. Hoc inprimis valet de carminibus Orphicis Homericisque, de quibus quam egregie recenti memoria eo nomine meruerit docta et acuta industria Ruhnkenii, Wolfii, Hermanni, Spohnii aliorumque, in vulgus constat.

Porro advertendum est, num poetae cujusdam carmina antiquitus diligenter fuerint lectitata. Quae enim carmina antiqui aevi homini-

bus in deliciis fuerunt, ea non dubium est, quin pluribus vel adnotationibus, vel interpolationibus vel insititiis versibus fuerint corrupta. Quemadmodum igitur in his attentos nos esse oportet, ne quid alienum nos lateat, ita in iis, quae aliquanto minorem lectorum adsiduitatem et Grammaticorum interpretationem in scholis experta sunt, cautiores erimus, ne praecipiti judicio damnemus, quae vera ac germana sunt. Ita, ut exemplum e Lat. poetis, de quibus idque epicis hic potissimum loquamur, petitum afferam, in Virgilio et Lucano, quos multum diligenterque lectos esse constat, suspicacioribus et severioribus nobis esse licebit, quam in Valerio Flacco, Silio Italico, et aliis. Vide, quae de hac re disputarunt Henr. Cannegieterus in Dissertat. c. XVI ad Aviani fab p. 287 - 92. et Hermannus in Dissert. c. p. III. et IV.

Sed omnium maxime consideranda est cujusvis carminis origo et ea ratio, qua ex ipsius poetae manu prodiit et divulgatum est. Namque fieri non potest, quin in vett. poetarum operibus versus occurrant, qui indigni nobis videantur poetae ingenio quique limato et multa subacto lectione judicio non possint non displicere, si quis carmen suum reliquit imperfectum, si ipsi per fata non licuit versus incudi reddere, dura et aspera laevigare, supervacanea rescindere et omnibus absolutum numeris ad umbilicum perducere. Quod cum accidisse constet

Virgilio in Aeneide componenda, Ovidio in Metamorphoseon libris, nec non Lucano et Valerio Flacco in epicis suis carminibus, est profecto, quod indignemur effrenatam nonnullorum interpretum licentiam, qui, hujus rei prorsus immemores, velut amplissimum in his carminibus periclitandi ingenii vires nacti campum, turpissime se dederunt et in versibus mutandis, transponendis, in suspicionem adducendis et obelo confodiendis nihil non ausi sunt.

Nullum tamen horum, quae diximus, carminum pejus est habitum violentiusque tractatum, quam Virgilii Aeneis, quae, licet ab antiquissimis inde temporibus ad nostram usque aetatem, ut plurimos, ita eruditissimos nacta sit verborum sententiarumque enarratores, justa tamen et subtili idonei Critici, in quo cum ingeniosa sagacitate prudentem modestiam et constantiam esse velim conjunctam, opera vel maxime adhuc indigere videtur. Dolet, recentissimum Mantuani vatis interpretem, Chr. G. Heynium, immortalis virum memoriae, cujus pereruditum elegantissimumque Commentarium non erat quod cum aliis Heindorfius in Praefat. ad Horat. Satir. p. XI. tam supine et superciliose vellicaret, in critica factitanda ita sui suaeque oblitum esse modestiae, ut nulla propemodum sit pagina, in qua egregius Vir, vel suo ipsius judicio ductus vel aliorum secutus suspiciones, nullos versus aut transpositos a librariis aut a

mala manu insertos judicarit additisque asteriscis damnarit, quos tamen a poeta profectos esse, certissime evinci potest. Non ego is sum, qui ex ambitiosa amabilis viri et de nostris literis immortaliter meriti censura laureolam captem; sed eam neque vanam neque invidiosam esse, alibi prolixius idoneis demonstrabo exemplis; nunc pauca delibare tantum et summatim tangere placet.

Videlicet in omni, quam Heynius emendandis Virgilii carminibus impendebat, opera admirabilem deprehendes judicii inconstantiam animique fluctuationem, non tantum in rebus minutioribus, velut orthographicis, conspicuam et in examinanda lectionis varietate, sed etiam in probandis reprobandisque singulis versibus integrisque locis, ita ut eum nunc audacem videas et temerarium, ubi eum vel maxime cautum esse oportebat, nunc modestum, religiosum et ambigentem, sicubi praesenti opus medela ulcusque ense recidendum esset. Quod in Critico merito aegre feras; sed humaniter indulgendum est humanissimo Viro, qui, dum in vivis esset, promtissima voluntate aliis magis, quam sibi suisque studiis vixit. Nemo vero paulo cordatior harum rerum aestimator infitiabitur, tantum abesse, ut Virgilianorum carminum textus ad justam ἀκρίβειαν ab Heynio sit exactus constitutusque, ut contra multo plura novo editori sint agenda, retractanda et excu-

tienda, priusquam divini poetae carmina eam, qua digna sunt, induant formam. Primum autem expungendi sunt versus, quibus tam manifestae νοθείας notae insunt, ut paene indignemur VV. DD. socordiam in ferendis his ἐμβλήμασι. In hunc censum venit Ecl. I, 18. quem jure omisit J. H. Vossius. Tollendus est sine haesitatione Aen. VI, 775. qui in nullo Cod. comparet et pudici monachi ingenium sapit. Idem faciendum Aen. IX, 29. 121. ejusdemque libri vers. 151.

Palladii, caesis summae custodibus arcis,

qui, si nulla alia suspicionis causa adesset, vel sola genitivi forma, Augusteo insolita aevo, damnaretur. [1] Versum 872. Aen. X. jure ejecerunt Cu-

---

1) Nota sunt, quae Critici egregii, Bentlejus ad Terent. Andr. II, 1. 20. Brunckius in Praefat. ad Virgil. p. VI. et Wolfius ad Horat. Satir. I, 1. 3. p. 11. docuerunt, auctores ante senescentis Augusti aetatem in nominibus substantivis, exeuntibus in *ius* et *ium*, semper genitivos casus *i* simplici extulisse; nunquam *peculii*, *tugurii*, *auxilii* sed *peculi*, *tuguri*, *auxili*. Etsi, ne quem sua privemus laude, silentio non praetermittendum est, idem jam observasse P. Victorium in Not. ad Varron. monente de la Cerda ad Virgil. Ecl. I, v. 69. T. I, p. 18. fol. eumque e Varronis Codicibus enotasse *Asini*, *Arcadi* pro *Asinii*, *Arcadii*. Post illos triumviros de eadem re disseruerunt C. G. Schellius in Vers. vernac. Ciceronis Orat. pro A. Lic. Archia p. 83. 84. (Lips. 1797.) non spernendas, ut mihi videtur, difficultates huic sententiae objiciens, Bothius ad Plauti Asinar. III, 1, 2., et Osannus in Anal. Critic. p. 172. 73. Sicut Wolfius in edit. Ciceronis Quaest. Tuscul. hanc scripturam secutus est, ita et nuper Heindorfius in libr. Ciceron. d. N. Deor. atque

ninghamus et Wackefieldus., qui ex libr. XII, 668. huc translatus contextui adversatur et in antiquiss. Codd. deest: quod idem de Aen. XII, 612. 13. statui oportet. Hi fere sunt, quos tanquam aperte παρεμβεβλημένους certo damnandos judicio, et velut furcillis textu exterminatos, in variantt. lectionum quisquiliis reponendos esse

---

Libr. II, c. 8. §. 22. p. 141. e Cod. Rhedig. reposuit: *quin inesset in oliva tibicini* (pro *tibicinis*) *scientia*. Doctissimus Osannus l. c. sedulam dat operam, ut binis versibus, e Lucretio alteri, alteri ex Ennio, qui huic regulae adversantur, medeatur, meliori, puto, voluntate, quam successu. In Lucret. V, 1004. *Improba navigii ratio tum coeca jacebat:* scriptum fuisse existimat *navigium* i. e. navigiorum. Sed haec medela, neutiquam lenis, non magis satis facit, quam Bothii ad Plautum l. c. *navigiis*. Nam *navigii* aperte h. l. positum pro *navigationis* et *ratio* periphrasi inservit, ut sit dictum pro *improba navigatio:* unde patet, neutram illarum correctionem posse admitti. Fateor, me nihil praesentis auxilii adferre posse huic loco, qui vel ideo damnandus est vel ita expediendus, ut statuamus, hanc genitivi formam poetas passim sibi indulsisse. Nam in vita communi illam formam in usu fuisse, non est, quod dubitemus, quia alias vix ausi fuissent seriores scriptores novam et inauditam casus secundi flexionem introducere. Tota res nondum satis ad liquidum perducta. Expeditu facilior est locus Ennii, quem Servius ad Aen. VI, 219. ita citat: *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit*. Celeb. Wolfius l. c. suspicatur, vocem *Tarquinii* fortasse habere vim adjectivi, et *Clarii-Apollinis* ex Virgil. Aen. III, 316. confert, cujus rationis vim et sensum non assequor. Contra Osannus correxit *Tarquini*, uti jam Fabricius emendaverat, quod doctissimum virum fugisse videtur, nihil offensus metri neglectione, qua nihil in nominibus propriis apud epicos Graecos et Latinos ait esse frequentius, laudatque Servium ad Aen. I, 343. ibique Brunckium p. 425.

censeo: quod et jam ab aliis v. c. Brunckio et Edit. Parmens. factum est, sed Heynius eos in textu patienter tulit. Non equidem nego de aliorum νοθεία probabili modo posse disputari, neque tamen ita, ut nullus dubitationi et cunctationi relinquatur locus. Sed vide mihi ingentem versuum numerum, quos Heynius non tantum

---

Qua tamen in re optimus Vir egregie falsus est. Nam hanc numerorum licentiam indulserunt sibi poetae Romani non nisi in nominibus peregrinis, nunquam, quantum intellexi, in vere Latinis et Italicis, nisi ubi literarum natura variationem admittebat. Prolixius hoc probabo ad Val. Flacci Libr. II. Quare Osanni conjecturae calculum addere nequeo, et nullus dubito, quin Ennius scripserit: *Exin Tarquinium bona femina lavit et unxit*, quemadmodum h. versum adduxit Donatus ad Terent. Hecyr. I, 2, 60. Servius vel memoria lapsus vel pravo exemplo usus est, in quo fortasse librarius explicationem formulae *Tarquinium lavit et unxit* i. e. *Tarquinii corpus*, reposuerat. Ceteroquin quantilla sit Grammaticorum auctoritas in citandis veterum scriptorum locis, neminem latet, qui animum adverterit. Aliquoties tamen accutissimos viros non tantum in dijudicanda lectionum veritate in errorem induxerunt, sed etiam in laudandis ipsis auctoribus, quorum nomina falso attulerunt. Ita Passovium meum fefellit Isidorus, qui in Origin. XVIII, c. 4, p. 1268. versum *Bucina jam priscos cogebat ad arma Quirites* Persio tribuit, qui est Propertii IV, 1, 13. notante errorem jam Burmanno p. 709. Talia ἁμαρτήματα μνημονικὰ commiserunt passim optimi scriptores v. c. Cicero ad Attic XII, 6, Senec. N. Q. IV, c. 2. p. 232. ed. Ruhk. aliique, quos laudarunt Cuninghamus in Annot. ad Horat. p 256-259. et Ukertus in Geogr. Gr. et Rom. T. I, P. II, p. 4. Quid? ne in probanda quidem locorum genuina origine horum testimonium ubique est audiendum, ut Athenaei exemplo docuit Heinrichius ad Hesiod. Scut. p. 165. 166.

in Aeneide, et minoribus Virgilii poematis, sed etiam in Eclogis Georgicisque [2] tanquam ineptos elegantique poetae ingenio indignos dispunxit. In Eclogis et Georgicis multorum locorum patrocinium suscepit egregio cum successu J. H. Vossius in Commentario, aeterno ingenii sui et eruditionis monumento. Ejus vestigiis multa cum laude institerunt Wunderlichius et Ruh-

2) Etiam in haec carmina, quae tamen satis polita e poetae manu prodierunt, admirabili licentia grassati sunt Critici, et eorum acumen in notandis, qui non essent sui stomachi, versibus, omni jure Vossius silentio magis et justa interpretatione, quam diserta confutatione retudit. Sed in tanto Interpretum fastidio mirum me semper habuit, quod nemo eorum offenderit ad Georg. IV, 273. ubi poeta de amello herba ita:

Namque uno ingentem tollit de cespite silvam,
Aureus ipse; sed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae sublucet purpura nigrae;
Saepe deum nexis ornatae torquibus arae;
Asper in ore sapor.

Virgilius totus in eo est, ut apiario amelli speciem, naturam usumque salutiferum designet. Quid vero meliturgi referebat, scire, deorum aras eadem herba saepe ornari? Nonne hoc, ni absonum, saltem languidum? Porro attendas velim abruptam temporum mutationem: praesentibus, quae huic versui praecedunt et subsequuntur, necopinum inseritur praeteritum *ornatae sunt*. Denique num usquam locorum *torques* de sertis floreis occurrat, addubito, neque, si quid judico, commode usurpari potest de florum coronis, quae non torquentur, sed nectuntur. Nihil decerno de hoc versu, qui in omn. Codd. reperitur; sed cupidus sum audiendi VV. DD. judicia. Apud Interpretes, qui alibi percuriosi et emunctae naris sunt, altum de eo silentium!

kopfius, qui in Aeneide haud paucos versus, Heynio aliisque suspectos, praeclare vindicarunt, in nonnullis tantum animo judicioque adhuc vacillantes, de quibus, expensis accurate utriusque rerum momentis, confidentius pronuntiari poterat, ut infra aliquot docebo exemplis.

Inprimis autem futuro Aeneidos interpreti advertenda sunt et vindicanda ea loca, in quibus nominis cujusdam etymologia continetur. Constat, in quam perversis opinionibus de hac re haereant epicorum poetarum interpretes. Plerique eorum cum P. Burmanno ad Ovid. Heroid. XXI, v. 209. ejusmodi loca ad poetastros nugatorios referunt, in quorum sententiam Heynium quoque potuisse discedere, eo magis miror, quo melius, quam alii, epici carminis indolem perspexerit et prudentius doctiusque dijudicarit. Verum haec Aeneidos loca tantum non omnia, nisi ubi eum etymi notae latuerunt, vituperavit adeoque asteriscis notavit. Multi multa id genus loca collegerunt v. c. Hessel. ad Ennii fragm. p. 243. Menagius Anti-Baillet T. XIV. P. I, c. 48. Valckenarius ad Eurip. Phoen. p. 242. Klotzius Vindic. Horat. p. 119. Abreschius ad Aeschyl. T. I, p. 370. et in Auctar. Dilucid. Thucyd. p. 286. Gatacker. Advers. Posth. c. 44. p. 898. Gurlitt. Animadvers. ad vett. auct. 1800. p. 10. Jacobsius ad Anthol. Gr. Vol. III, P. II, p. 231. Astius ad Platon.

Phaedrum p. 276. et Moserus ad Nonn. p. 224. Sed exemplis, quorum numerus facili negotio augeri possit, congerendis neque excusatur satis neque illustratur haec res, quae est altioris indaginis, et repetenda ex interiore et propria veterum nominum indole ac natura. Quaedam de hac re jam monuit acutissimus Passovius in libro: Ueber d. Einricht. d. gr. Woerterb. p. 22. sqq. atque ego, deo volente, alibi de eadem exponam prolixius ibique docebo, tantum abesse, ut ejusmodi versus, in Aeneide obvii, tanquam hominum male feriatorum foetus sint dispungendi, ut sint antiquitate dignissimi et epico in carmine maxime necessarii. Quare nescio, an non legendum sit Aen. III, 127.

Sparsasque per aequor
Cycladas et crebris legimus freta consita terris,

ut post Cycladas designentur *Sporades.* Ita e Codd. dedit Dan. Heinsius, acriter repugnante Heynio, qui *concita* probat ac defendit.

Nec minorem interpretis curam requirunt versus, tum in ceteris Virgilii poematis, tum in ipsa Aeneide, vel integri vel mutati, recurrentes, qui et ipsi multis offensioni erant et suspicioni. Etiam haec res, quae latissime patet et multis VV. DD. hariolationibus atque erroribus obnoxia fuit, alio tempore accuratius nobis erit exploranda. Hic tantum unum itemque alterum exemplum in medium proferre juvat. Ita Hey-

nius, Bryanto accedens, damnat Aen. V, 136. 137. velut confictos ex Aen. III, 289. et Georg. III, 105. 106., cui judicio nemo, qui attente locum inspexit, adstipulabitur. Idem Aen. VIII, 43-46. male repetitos putat ex Aen. III, 390-93. sed ibi tota ejus nota digna est, quae legatur, ut penitus perspicias ejus fluctuationem in ferendo de his judicio. De Brunckii temeritate, qui Aen. IV, 285-86. omisit, quippe ex Aen. VIII, 20. 21. huc translatos, mox dicemus. Epicis poetis, ut constat, eosdem versus repetere tam usitatum est, ut verear eos adeo versus, qui in aliquot Codd. desunt, praepropero damnare judicio, quia aeque est vero simile, a librario versus, qui alibi adfuissent, tanquam supervacaneos suo periculo esse omissos. Nonnulli saltem in ipso contextu sua habere videntur praesidia, quibus defendantur: v. c. Aen. IX, 121.

Hinc virgineae, (mirabile monstrum)
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae,
Reddunt se totidem facies pontoque feruntur.

fulcire videtur versum medium v. *totidem*, et, si verum fateri vis, commodius, quam hic, abesse potuit Aen. X, 223. ubi otiosus additus est. Aen. IX, 529. simile versuum initium haud dubie omittendi causa erat, ut saepe: de qua re infra dicam. Interpungas modo:

Et mecum ingentes oras evolvite belli:
Et meministis enim, divae, et memorare potestis.

Solennis est versuum in deorum invocationibus repetitio apud Homerum et alios: cujus rei ignoratio librariis ansam dedit versus praetermittendi, quem supra Aen. VII, 645. lectum esse reminiscebantur. Necessarius ad orationis contextum mihi videtur versus Aen. X, 278. modo distinctionem emendes:

Vltro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.

absente enim hoc versu, desideraretur v. *dixit* vel *inquit*, et Turni oratio abrupte nimis inciperet. Attamen hos versus asteriscis notatos damnavit Heynius. Mirabile vero est Bryanti acumen, qui Aen. IX, v. 767. *Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque*, quia totidem verbis in Ovid. Met. XIII, 258. legatur, ex Ovidio in Virgilium migrasse autumat, non animadvertens, eum ab utroque poeta ad verbum esse expressum ex Homero Il. V, 678. Non mirarer, si idem statuisset de Aen. I, 282. et II, 55. quorum prior in Martial. XIV, 124. et posterior in Petronio c. 89. v. 20. integer occurrit. Hic autem nobis oblata est opportunitas in alium exspatiandi campum et disserendi de versibus, quos Virgilius ex Ciri suis carminibus inseruit: qua in re sunt qui certissimum inveniant suae sententiae argumentum, qua Mantuanus vates illius poematis auctor perhibetur. Quum vero consilium ceperimus, hoc carmen, e Codd. emendatum et Corn. Gallo vindicatum, peculiari volumine una

cum elegiis, quae ejusdem nomine feruntur, in lucem, si quando otium suppetit, edendi, amplissimam hanc disputandi materiam hic missam faciamus, et nihil nisi hoc adjicere liceat, hos versus in eodem repetitos carmine passim conferre ad lectionem alicujus loci rectius constituendam. Non ubique hoc attenderunt interpretes. Ita non dubium est, quin Aen. I, 100. scribendum sit: *ubi tot Simois correpta sub undas Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit*, ob Aen. VIII, 539. pro *sub undis*, quod ab Heynio retentum contextus respuit. Similem discrepantiam, quam Heynius Georg. III, 439. et Aen. II, 475. reliquit, Wunderlichius sustulit in Epist. ad Heerenium praemissa Virgil. Edit. min. p. VIII. Nec tamen cuncti ad eandem normam exigendi sunt loci, quippe in quibus nonnunquam mutata sententia unius alteriusve verbi mutationem induceret. Insignis hanc in rem est locus Aen. IV, 701.

Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores.

Hic nihil variant Codices; sed Aen. V, 89. legitur posterior versus *Mille jacit varios adverso sole colores*, ubi Cod. Romanus *Mille trahit.* Hic comparatur anguis, *caeruleae cui terga notae maculosus et auro Squamam incendebat fulgor*, cum arcu coeli, qui mille jacit colores. Jam jure, puto, postulari potuit ab Heynio, ut tribus verbis doceret, quam eleganter poeta illic *trahens*, hic *jacit* dixe-

rit, et pro imaginis diversitate utrobique orationem variare debuerit; sed *novas*, inquit, *mutationes in editiones inferre nolim*, *ubi utraque lectio bona est*, *nec ullum res fructum habet*, *nisi quod novae turbae fiunt*. Hem! quae modestia Critici! At enim vero aut egregie fallor, aut Virgilius, ut comparationis vis et elegantia sibi constaret, *jacit* scribere debuit. Sed de his hactenus [3].

Venio jam ad rem, quae dici non potest

---

3) Majori cum circumspectione judicandum esse de versibus, qui in antiquissimis Graecorum carminibus recurrant, probe scio. Causam supra p. 56. attuli. Ita v. c. in Hesiodi Scut. Herc. versus 156-59. irrepsisse videntur ex Homer. Il. XVIII, v. 535., ut contra ex Hesiod. Scut. Herc. v. 182. in Homerum venit, notante Wolfio in Proleg. p. XXVII. quem etiam Eustathius ignorat, etsi J. H. Vossius in Epist. Mythol. T. II, p. 265. eum genuinum agnoscit. In Orphei Hymn. XXXIV, 5. occurrit versus Homeri Il. XXI, 195. et in ej. Hymn. LXXXII, 4. alius ex Homeri H. in Apoll. v. 16. aliosque collegit Lobeckius in Diatr. I, d. Morte Bacchi p. 4. 5. Not. 3. Vbi tam manifesta additamenti et interpolationis argumenta adsunt, qualia in Theocrit. Id. I, 107., tum sine haesitatione ejusmodi versus familia submovendi sunt. Sed tenerrimus ille versus, Theocr. Id. III, 20. Ἔστι καὶ ἐν κευθῶσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις, quem Valckenarius ex Idyll. XXVII. huc translatum esse statuit, tam aptus suo loco est, ut expunctum vere doleam. Graviter, sed verissime J. H. Vossius ad Virgil. Georg. II, 129. p. 323. versum *Miscueruntque herbas et non innoxia verba*, ejectum a Brunckio et notatum ab Heynio, defendens ait: „*Diesen Vers, weil er* III, 283. *wiederholt wird, an einer von beiden Stellen, und zwar der ersten der besten, wegschneiden wollen: ist nicht Kritik, sondern Leichtsinn!*“

quot omnium aetatum interpretes Virgilii deluserit, et quantum negotii hodieque facessat ei, qui in Aeneide interpretanda Critici provinciam cum laude sustinere cupit. Hemistichia dico, quae Virgilius hoc in poemate reliquit, quaeque, uti librariorum sedulitati egregiam supplendi interpolandique copiam fecerunt, ita editorum sagacitati largissimam suspicandi et notandi praebuerunt materiam. Mirationem utique facit, quid sit, quod Virgilius, tam divitis poeta venae, imperfectos truncatosque in Aeneide reliquerit versus. Juvat ejus rei causam paucis investigare. Excusatur vulgo Virgilius ita, ut dicant, tam vastum, quale Aeneis sit, carmen non uno spiritu potuisse concipi, sed diverso tempore diversos libros librorumque partes fuisse exaratas, et immaturam poetae mortem praepedivisse, quo minus inceptos expleret versiculos. Enim vero qui factum est, ut neque in Ovidii Metamorphoseon libr. XV. neque in Lucani Pharsalia, neque in Val. Flacci Argonauticis, quorum carminum expolitionem itidem fata praecidisse constat, id genus versus deprehendantur? Ovidium enim in Metamorph. nulla reliquisse hemistichia, etsi N. Heinsius ad libr. VI, 537. suspicatus est, evincit Joan. Schraderus Emendatt. c. 10. p. 192. neque ulla in Lucano et Val. Flacco inveniuntur. Et nonne ab optimo quoque poeta postulari potest, ut, quoties ejus pectus ad pangendum carmen inca-

lescat, mandantem chartae animi sensa et mentis cogitata ita statim sequantur verba, ut versus sponte neque inviti numeris coeant membrisque instructi suis evadant integri, licet primo impetu fundantur, quae secundis curis sint tollenda? Poetastros quidem, quamvis sibi in ipso bicipiti Parnasso sedere et labra fonte caballino proluere videantur, haud raro conspicimus in componendis poematis calamum arrodentes capitulumque scalpentes: quibus ne illud quidem, quod lutulenti fluant, commune est cum Lucilio isto, qui, teste Horatio, in hora saepe ducentos versus dictabat stans pede in uno. Ecquis autem serio sibi persuadeat, si vel maxime iniquum de Virgilii ingenio judicium Niebuhrii in Histor. Roman. T. I, p. 138. amplectatur, Mantuanum vatem ita defecisse poetandi facultatem, ut, si voluisset, versus numeris absolutos prima opera cudere nequierit, qui, si fides est personato Donato in Vita Virgil. XII, §. 49. ed. Heyn., recitante quondam Erote, librario et liberto, duo dimidiatos versus e vestigio complevit? v. Servius ad Aen. VI, 164. 165.

Itaque speciosior esse videtur eorum sententia, qui hos versus a poeta certo quodam consilio et judicio relictos esse statuunt. In his est Servius, qui ad Aen. IV, 361. *Italiam non sponte sequor* haec adnotat: *et oratorie ibi finivit, ubi vis argumenti consistit.* Jam etsi huic opinationi

nonnulla hemistichia patrocinari videntur, tamen haec ei adversantur. Primum abhorret ista ratio ab heroici carminis natura, quacum antiquissimus ille et nobilissimus versus, hexameter, tam arcte est conjunctus, ut, eo demto vel truncato, peculiaris huic carminum generi periret virtus. Accedit, quod Virgilius totum se componeret ad Graecorum exemplum, qui, quantumvis versus heroici numeros temporis successu mutarent, dimidiatos versus nunquam sibi permiserunt, probe intelligentes, eam numerorum, ex quibus hexameter constet, compositionem epico argumento esse commodissimam eique gratam varietatem, venustatem et gravitatem conciliare. Hoc Virgilius, Graecorum imitationi ita addictus, ut passim in imitandis eorum vitiis virtutem quaereret, non potuit non perspicere, ideoque improbabile est, eum ex quadam judicii subtilitate dicam an perversitate illam heroici versus aequabilitatem deseruisse ac violasse. Denique adversantur huic sententiae haud pauca hemistichia, quibus loci sensum ejusque cum sequentibus nexum nequaquam absolutum esse, totus, si animum attenderis, persentisces. Conferas modo Aen. I, 560. II, 66. 767. III, 316. 470. IV, 44. 503. 516. V, 294. VI, 94. VII, 439. 702. VIII, 41. 536. IX, 467. 520. 721. X, 728. 876. XI, 391., in quibus, opinor, omnibus sententiarum concinnitatem et narrationis tenorem hiare facile anim-

advertes. Quid? sunt aliquot hemistichia, quae, salvo loci sensu et nexu, prorsus abesse possent: v. c. Aen. IV, 503. V, 653. X, 284.

Igitur quo tandem modo factum est, ut, si recte computavi, quinquaginta et octo imperfecti versus a Virgilio in Aeneide et cuderentur et relinquerentur. Acute vidit Heynius ad Donati Vit. Virg. §. 59. T. I, p. LXXXV. et in Disquis. I, de carmine epico Virg. XVIII, T. II, p. XLVI. ejus rei causam ex quadam poetae properantia esse repetendam. Jam haec festinatio, optimis quibusque poetis communis, apud Virgilium e duplici fonte mihi orta esse videtur, partim ex vehementiore enthei pectoris motu, quo percitus ab hac imagine ad illam et ab alia sententia ad aliam propere ferretur neque animum, objecta sublimium phantasmatum specie inflammatum, ingrata absolvendi loci alicujus explendique versus mora inhibere vellet, partim ex laudabili studio totum opus celeri calamo consignandi, antequam singulas partes melius concinnaret et carminis descriptioni, quam animo conceperat, adaptaret, lacunas expleret et aspera laevigaret. Quod tamen quominus perficere posset, mors impedimento fuit. Prius illud comprobatur praestantissimorum poetarum exemplo atque experientia, et ambitiosius quam verius ab epicis poetis postulatur, ut, quibus eorum pectus incaluerit sensibus, eos primo statim impetu ver-

sibus exprimant perfectis numerisque suis absolutis, quod in brevioribus lyricorum poematis locum habere potest ac debet; Ovidio, meliori versificatori, quam poetae, ejusmodi versus excidere non poterant in Metamorph. libris, quos admirabili loquacitate, destitutus illo, qui sedibus aethereis venit, spiritu composuit; Lucanum vero et Val. Flaccum in elaborandis suis carminibus lente esse progressos, ipsa poematum indoles prodit. Posterius autem ut de Virgilio statuam, rationes habeo sat idoneas. Quum enim Augustus, Roma absens Cantabrica expeditione, et supplicibus atque minacibus per jocum literis a Virgilio efflagitasset, ut sibi de Aeneide vel prima carminis hypographa vel quodlibet colon mitteret; v. Donat. in Vit. Virg. XII, §. 46.; poeta ad Augustum haec scripsit: *de Aenea quidem meo, si mehercule dignum haberem auribus tuis, libenter mitterem; sed inchoata tantum res est, ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar; cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiar.* Ex hoc epistolae fragmento, quod Macrobius Saturn. I, 24. servavit, hoc apparet, Virgilium totum opus, quod *Aenean suum* vocat, jam conjecisse in chartas vel ceras, quae ab Augusto *prima carminis hypographa* dicuntur, uti recte Gesnerus ad Claudian. p. 630. interpretatur; et rem inchoatam tantum ab eo dici, quatenus carmini, velociter fuso, nunc emendando et expoliendo

diversarum rerum studia impertiri constituisset. Multa haud dubie Virgilius, dum adhuc viveret, in Aeneide, sive argumentum sive formam spectes, mutavit, correxit, supplevit, et longe plures in primo chirographo fuisse imperfectos versus, quos jam in eo exemplo, quod in Tuccae et Varii manus venit, diversis compleverit temporibus, tum per se non est improbabile, tum Grammaticorum testimonium firmat. v. Donat. in Vit. Virg. XII, 49. et Servius ad Aen. VI, 164. Improbum enim est Heynii acumen harum narrationum fidem sine gravi causa elevantis. v. Tom. I, p LXXXI. Atque in exasciando, ut ita dicam, suo carmine pro lubitu per partes ivisse videtur Virgilius: quod inde conjicio, quia diversos Aeneidos libros Augusto amicisque, velut emendatiores ceteris et sibimet ipsi probatiores, recitavit: v. Donatus in V. Virg. XII, §. 46-49. et Servius ad Aen. IV, 324 et VI, 862. Sed Parcis placuit, laudabilem hunc studiorum, quae Virgilius Aeneidi impendere animum induxerat, tenorem, abrupto vitae filo, interrumpere, ita ut ad nos imperfecti carminis chirographum, huc illuc tantum emendatum, perveniret. Quodsi haec tenemus, propensiores erimus ad excusandam vitiosam totius operis descriptionem, mancam locorum nonnullorum tractationem et duram passim singularum partium coagmentationem, et justa veneratione suspiciemus poetae inge-

nium, cujus carmen, e primis evulgatum hypographis, tot tantisque splendet virtutibus et ornamentis, quae cultissimi omnium aetatum homines in Aeneide agnoverunt, laudarunt et admirati sunt.

Quum vero Tucca et Varius Aeneida, sapienter id praecipiente Augusto, summatim tantummodo emendassent atque versus etiam imperfectos reliquissent, non mirum est, latissimum patuisse campum, in quo hominum industriorum doctrina et acumen se jactaret. Jam Donatus in Vit. Virg. XV, §. 59. narrat, multos mox post editam Aeneida conatos fuisse illos complere, et quum temporis progressu non defuerint, qui eandem ingenii laudem captarent, satis apparet, quantam curam et sagacitatem hujus carminis interpres indagandis his hominum male feriatorum ἐμβλήμασι debeat impendere. Multis certissima νοθείας signa adhaerent: v. c. Aen. I, 534. II, 614. 640. 767. 787. III, 661. X, 284. 490. 876. XI, 375. 391. quae omnia jure expulerunt editores. Merita stigmata mihi videtur apposuisse Heynius Aen. V, 595. verbis: *ludumque per undas*, quae in optt. Codd. desunt; secus statuo de Aen. VII, 444. Praeterea sunt, quae speciosis impugnari queant argumentis: v. c. III, 110. *habitabant vallibus imis*, quae admodum frigent; III, 484. *nec cedit honori; Textilibusque onerat donis:* quae verba si

sustuleris, omnia bene cohaerent nec opus est, ut cum Heynio corrigas *tum talia fatur* ad hiatum removendum, qui hac sede admitti potest. Sed in multis erant nimis fastidiosi editores. Ita, ut aliquot modo exempla afferam, Bryantus hemistichium abesse maluit Aen. III, 380. quod bene vindicat Heynius. Burmannus Aen. III, 691. verba *comes infelicis Ulixi* addita putabat e v. 609., offensus epitheto, quod Aeneae non conveniat; sed est illud epitheton, quod dicitur, perpetuum, ut saepe inepto loco Aeneas *pius* vocatur. Schraderus perperam damnat Aen. VI, 824. *laudumque immensa cupido:* quae non ad nostrum sensum sunt dijudicanda. Heynius, qui egregie Heumannum, dubitantem de hemistichio Aen. IV, 237., refutavit, oblitus eorum, quae ipse Aen. X, 243. prudenter monuerat, haud raro in damnandis hemistichiis modum excessit. Ita Aen. III, 660. tollenda censet verba *ea sola voluptas Solamenque mali*, tanquam ineptum versus explendi conatum. Mihi quidem *Lanigerae oves*, quae coecatum Polyphemum comitantur, apte dici videntur ejus sola voluptas solamenque mali. Haec verba per appositionem addita sunt et spirant bucolicam suavitatem, epico non indignam carmine. Rescindenda saltem essent cum his etiam verba: *lanigerae comitantur oves.* Neque ego Aen. VIII, 676. verbis *auroque effulgere fluctus* offendor. Atque Aen. IX, 24. *Multa deos orans oneravitque aethera*

votis redundantiam verborum video epicis poetis solennem; eodem refero v. *pugna aspera surgit* Aen. IX, 667. Pallas cum Turno congressurus Aen. X, 460. Alciden per patris hospitium precatur, ut coeptis ingentibus adsit:

Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrimasque effundit inanes.

ita ex Codd. Med. Rom. plerisq. Pier. Heins. legendum est, non *effudit*. Ad h. locum Heynius in Not. Crit. „*Totum*, inquit, *hemistichium ab aliena manu venisse arbitror: cum et otiosum sit et vero etiam molestum: qui deus corde premit gemitum, ut idem ille lacrimas fundat, absurdum est, si quid video.*“ Nollem talia excidissent optimo viro! Alcides corde premit gemitum, i. e. dolorem continet, quia per fata non licebat Pallanti succurrere, et effundit lacrimas eandem ob causam *inanes*, nihil profuturas ad mortem fatalem a juvene avertendam. Justior dubitandi causa esse videbatur Aen. XI, 171. de verbis *Tyrrhenum exercitus omnis*, quae nullo vinculo praecedentibus annectuntur. Varie h. versum ideo tentarunt VV. DD. et J. H. Vossius in Vers. vern. copulam inseruit. Sed et haec verba genuina sunt, si modo totum locum mecum ita interpunxeris:

Quin ego non alio dignor te funere, Palla,
Quam pius Aeneas et quam magni Phryges et quam
Tyrrhenique duces: Tyrrhenum exercitus omnis
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.

Heynius verba *et quam Tyrrhenique duces --- omnis* pro insitiis habet; alii versum 172. confoderunt. Prava interpunctione turbas excitarunt librarii, non intelligentes, collectivum *exercitus* jungi oportere c. *ferunt* tropaea eorum, quos tua dextera leto dedit. A versu 173. nova sententia exordi-tur. Nihil quoque interpolationis video Aen. XI, 309., etsi, eum male suppletum esse, praeter Burgessium et Heynium, etiam suspicatus est Porsonus, ut nuper intellexi ex Wolfii Anal. Liter. Fasc. II, p. 483. Difficilior est locus Aen. IV, 244. ubi de Mercurii virga:

Dat somnos adimitque et lumina morte resignat.

Heynius posterius hemistichium, variis tentatum interpretationibus et correctionibus, abesse maluit, cujus tamen gravissimus vindex exstitit Chr. Fr. Ammon, V. Magn., qui ante aliquod tempus per literas mecum communicavit suam de hoc loco sententiam. Legendum ei videtur *et lumina nocte resignat*, ex Homer. Odyss. XXIV. 4. τῇτ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει, ὧν ἐθέλει, τὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει; ut sensus sit: dat somnos fessis et dormientes iterum in miseram ἀϋπνίαν resolvit. Est enim *resignat* i. q recludit, Aen. X, 601. cf. Ovid. Met. XIII, 126. XV, 144. et Ernestius ad Sueton. Octav. c. 77. Si totus versus, qui in fragm. Cod. Vatic. ad calcem pagellae adscriptus erat, genuinus est, haec correctio, quam et Heynius in Virg. Edit. 3. proposuit, ceteris interpretandi periculis utique praeferenda

esse videtur. Utraque enim vox *mors* et *nox* in Mss. locum suum saepe commutarunt: v. Drackenb. ad Sil. Ital. XIII, 129. nec otiosa videri debet sententiae repetitio, usitata Virgilio, ut docuit Wagnerus in edit. Eleg. ad Messal. p. 13. Lips. 1816. Verum difficillimus omnium, qui in hunc censum veniunt, locorum reperitur Aen. III, 340. *Quem tibi jam Troja* † † †: de quo versu, non numeris tantum, sed sententia etiam imperfecto, quid statuam, dicere subtimeo. In melioribus Codd. mancus est relictus, in aliis suppletur diversis modis, quorum alius alio est ineptior: v. Heynius in Not. Crit. Nec abstinuit inani supplendi opera nuper V. D. in *The Classical Journal for* 1810. *Lond. by Valpy* Vol. VII, p. 118. *Quem tibi jam Troja salvum fumante tenebas:* in quo supplemento dictionis Virgilianae elegantiam prorsus desidero. Jure dubitat Heynius, an hoc versus fragmentum e schedis Virgilii a Tucca et Vario sit servatum. Equidem nego, quovis pignore posito, talem laciniam, sensu cassam et orationis filum perrumpentem, a Virgilio in chartas esse conjectam. Testimonium Codicum, qui hoc fragmentum habent, non nimis urgueri potest ac debet, ubi interna νοθείας argumenta eaque certissima accedunt; si enim rem ex Codd. auctoritate aestimes, retinenda fuissent additamenta Aen. X, 490. XI, 391, et fortasse etiam III, 661. Verum enim vero, quocunque modo

h. hemistichium suppleas, id manifestum est, hunc versum continere debere additam illustrationem, quam Ascanii aetas postulare videbatur. Jam vero ejusmodi additamentum, quo aetas Ascanii ejusque natales designentur, in hac Andromaches oratione, qua mulier, affectus materni plenissima, Aenean interrogando de Ascanii vita, pietate in matrem ejusque laudis et gloriae cupiditate urguet, futile esse, absonum et intolerabile, nemo erit, quin intelligat. Adeone Virgilium, egregium in repraesentandis humani animi affectibus artificem, ineptiisse, credibile est, ut Andromachen induceret Aeneae, Ascanii patri, dicentem eique in memoriam revocantem, Ascanium natum esse vel fumante Troja, vel obsessa, vel florente? hoc enim triplici modo Codices h. versum explent. Credat Judaeus Apella, non ego! At prodit hic assutus pannus male sapientem ludimagistrum, qui temporis, quo Ascanius sit natus, notationem scitu necessariam existimabat et hunc versiculum appingere volebat, deficiente tamen in ipso conatu poetandi facultate: hinc mancus truncatusque in Codices venit. Haec est mea qualiscunque de hoc versu sententia, quem malim repositum videre in variantt. lectionum farragine, quam in textu, cujus tenorem et suavitatem turbat et foedat. Neque rem expedit Brunckii ratio, qui hunc imperfectum cum seq. versu a poeta in marginem

conjectum esse statuit, ut olim ab eo retractaretur. Certum quidem est, ut infra videbimus, a poetis versus in ora cerarum fuisse adscriptos, olim secundis curis retractandos, eosque passim, post auctoris mortem, a primo carminis editore simul cum aliis in textum illatos, ne quid scilicet periret; sed ejusmodi laciniam orationis contextui adversantem, a Virgilio in loco tam elaborato margini adjectam esse, aeque a vero abhorret, ac Tuccam et Varium, si in chirographo invenissent, eam delevisse, certissimum est, licet Aeneida summatim tantum emendarent. Miror vero ac paene indignor acumen Brunckii, cui Heynius propenso animo adstipulatur, damnantis versum 341. quo tamen nihil verius atque elegantius. Praeclare enim et, si quid judico, apte Andromache, infelix Astyanactis crudeliter necati mater, Aenean non tantum interrogat, vivatne adhuc Ascanius, sed etiam an, si vivat, memor sit amissae matris Creusae: *Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?* Venustus et tener versus! In eo autem, quod negat Heynius, Andromachen vix rescire potuisse Creusae fatum, egregie argutatur vir optimus. Saltem ex eo, quod Andromache v. 310. interroget *Vivisne?* et v. 337. de itinere Aeneae quaerat, nihil horum sequitur. Pertinent illa ad ea, quae Aeneas post expugnatam Trojam, solutis navibus, expertus est: quae Andromache utique ignorabat; sed Aenean ex

Trojae incendio salvum evasisse et Creusam amisisse, comperire potuit, antequam captiva ex Troade abduceretur. Atque nonnunquam poetae supponunt quaedam tanquam nota lectoribus vel intellectu facilia. Ita v. c. Aen. VIII, 263. Herculis boves a Caco abstractae dicuntur *abjuratae rapinae*, licet poeta ante non memorasset, Cacum perjurio negasse, se boves habere. Quare non erat, quod Heynius negaret, Andromachen Creusae fatum potuisse resciscere, atque de ipso versu dubitaret; sed ipse in Not. Exegetic. sententiam suam retractat et quodammodo palinodiam canit. Apposite ad sententiam laudat Eurip. Hecub. 992. et Electr. 351. Omnia igitur in hac Andromaches oratione egregie conspirant, et totus locus, ejecta ista lacinia, integer et sanus et in elaboratissimis Aeneidos ponendus est.

Sed ita inscii propemodum deducti sumus ad eam rem, cujus nomen supra contraximus, ut nimirum ipsi patrocinium susciperemus aliquot Aeneidos locorum, qui sine gravibus et idoneis causis interpretibus suspecti erant, eorumque γνησιότητα pro virili demonstraremus. Attamen non haerebimus iis in locis, qui huic vel illi editorum displicebant et poeta indigni videbantur, non expositis satis perspicue judicii sui rationibus, ut Aen. I, 23. 24. 30. 711. II, 606. III, 296. 97., quos duo versus Heynius sublatos

vult, quia alias Aeneas infra v. 319. inepte interroget: *Hectoris Andromache, Pyrrhin connubia servas?* Sed Aeneas fama, quae ipsi incredibilis videbatur, acceperat, patrio Andromachen iterum cessisse marito, ut poetae verbis utar, atque haec Didoni narrat. Quum igitur illi famae diffisus esset, apte Andromachen interrogat, an adhuc sit Pyrrho juncta, et Andromache ad haec respondet v. 329. *Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam:* quem versum bene expedivit et explicuit Wagnerus in edit. Eleg. ad Messal. p. 57, cf. etiam Markland. ad Statii Sylv. III, 3. 78. p. 158. Optime Heynius defendit Aen. III, 353-55., contra Bryantum, et Aen. III, 704. adversus Schraderum ἀναχρονισμῷ offensum; secus ipse offendit ad Aen. III, 595. de quo alibi. Nam ad graviora progrediamur. Quo melius eruditiusque Wunderlichius difficilem locum Aen. III, 684-86. adversus Heynium, qui hos tres versus, tanquam ab interpolatore profectos, obelis perfoderat, vindicavit; eo magis miratus sum, eundem haerere et trepidare potuisse circa Aen. IV, 256-58. quibus versibus, si quid video, longe certiora insunt γνησιότητος signa. Sermo ibi instituitur de Mercurio a Jove Carthaginem misso: cujus itineris seu volatus rationem, quam neque Turnebus Advers. XXV, 6. neque Lessingius in Append. ad Laocoont. p. 325. neque Heynius recte expediverant, praeclare illustratam dedit J. H. Vossius

in Epist. Myth. I, p. 174. sqq. Mercurius pinifero Atlantis vertice

Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit. Avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat aequora juxta:
Haud aliter, terras inter coelumque, volabat
Litus arenosum ad Libyae, ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

Ita hic locus interpungendus et legendus est. Vulgo post *volabat* inciditur: quam absurdam distinctionem miror Burmannum potuisse defendere zeugmatis ope: nam quomodo *litus secare* de volante dici queat, non exputo. Meliorem distinguendi rationem suaserunt jam Wopkensius in Lect. Tullian. I, 5. Brunckius et Wunderlichius. Recepi ego, Brunckio praeeunte, praepositionem *ad*, quam, notante Heinsio, Codd. Menag. prior, Gudian., alter Voss. Leidens. et pro diversa lectione Moret. sec. habent, et eodem ducunt Mediceus. et quatuordecim alii Codices Heinsii et duo Burm., qui *arenosum ac Libyae* offerunt. Posituram praepositionis excusavit Wunderlichius Georg. III, 313. *Usum in castrorum;* Georg. IV, 333. *thalamo sub fluminis;* Aen. VI, 58. *Corpus in Aeacidae;* Tibull. II, 1. 74. *Limen ad iratae;* Tacit. Annal. VII, c. 51. *vulneratamque ripam ad Araxis trahit.* Negari enim non potest, metri necessitatem aliquoties adegisse poetas, ut non tantum in verbis collocandis a vulgari ordine discederent, sed etiam temporum conse-

cutionem et constructionis normam passim violarent: v. Werferus in Act. Monac. I, 4. p. 525. et 558. Si cui tamen displiceat praepositio secundam post vocem posita, non acriter repugnarem hoc loco eam expellenti. Nam Romanorum poetae, secuti Graecorum exemplum, verba veniendi in aliquem locum, quocunque demum modo id fiat, omissa praepositione, cum quarto casu jungere consuescunt. Nubem exemplorum de ea re collectam invenies ab Heinsio et Burmanno ad Aen. II, 781. et C. Barthio ad Claudian. d. Bell. Get. v. 73. etsi non diffiteor, mihi nullum in promtu esse locum, in quo *voiare* ita sit positum. Idcirco hic Codicibus cessi, quorum testimonium hoc in loco maximi est momenti. Sed Heynius illud vix tribus verbis dignatus est, quo tamen impedita verborum structura, qua offenditur, prorsus tollitur et simul eorum conamen irritum redditur, qui ex aliquot Codicibus versuum transpositionem commendarent. Sed et ingratos vocat hos versus Heynius, sono quippe in extrema voce eodem bis redeunte. De hoc superbo aurium judicio, quo multa poetarum utriusque linguae loca vitiata sunt, prolixius dicere constitui ad Valer. Flaccum I, v. 39. N. Heinsius ideo h. l. correxit *coelumque volatu Litus* vel *volando*, et Bentlejus ad Horat. I, od. 34. p. 87. ed. L. refinxit *coelumque legebat*: quorum conatus retudit Burmannus similibus e Marone

versibus, v. c. X, 213. 14., non satis tamen faciens Heynio, qui nihil aliud inde effici ait, quam esse in Virgilio similes versus, non minus male cusos. Non recordatus est optimus vir, similia ὁμοιοτέλευτα passim excidisse optimis poetis, v. c. Homero Il. II, 87. 88.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων.

et Il. XVIII, 46. 47.

Νημερτής τε καὶ Ἀψευδὴς καὶ Καλλιάνασσα.
ἔνθα δ' ἔην Κλυμένη, Ἰάνειρά τε καὶ Ἰάνασσα.

quo in loco quinque versus in eandem vocalem exeunt. Hesiod. Theog. 321. 22. ed. Wolf.

Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαὶ, μία μὲν χαροπῖο λεόντος
Ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος, κρατεροῖο δράκοντος.

ibidem v. 684. 85.

Ὡς ἄρ' ἐπ' ἀλλήλοις ἔσαν βέλεα ϛονόεντα.
Φωνὴ δ' ἀμφοτέρων ἵκετ' Οὐρανον ἀστερόεντα.

Multa alia collegit larga manu Schraderus ad Musaeum p. 139-42. Ex Virgilio huc pertinent Aen. I, 319. VI, 844. quos Burmannus praetermisit. Atque ecce Lucanum V, 423.

Rumpite, quae retinent felices, vincula, proras.
Jam dudum nubes et saevas perdimus undas
Sidera prima poli, Phoebo labente sub undas,
Exierant et Luna suas jam fecerat umbras.

ubi jure manum emendatricem abstinuit Oudendorpius p. 377. Neque Persius I, 92. in Neronis versibus. ὁμοιοτέλευτον vituperat, ut acute monet eruditissimus Passovius p. 313. cujus nota maxime

huc facit.[4]) Igitur Virgilii locus, quem tractamus, ob ingratum illud ὁμοιόπτωτον aliorum poetarum exemplis satis, opinor, excusatus erit. Quid vero Heynius? „*Praestat*, inquit, *dicere, esse versus Virgilii, sed manum ultimum eos haud esse expertos.*“ In hoc judicio poterat acquiescere. Sed pergit: „*At nec minus probabilitatem habet illud, non modo unum vel alterum, sed omnes tres versus de-*

4) Eximendus est hoc numero Apollon. Rhod. I, 593. 94.

Ἔνθεν δὲ προτέρωσε παρεξέθεον Μελίβοιαν,
ἄκτην τ' αἰγιαλόν τε δυσήνεμον εἰσορόωντες.
ἠὼθεν δ' Ὁμόλην αὐτοσχεδὸν εἰσορόωντες
πόντῳ κεκλεμένην παραμέτρεον.

ubi Brunckius, ne eadem esset versuum clausula, ex ingenio dedit ἐκνεύσαντες. Spitznerus, amicus in paucis mihi carus, mecum communicavit eruditissimi Jacobsii conjecturam, ab humanissimo viro per literas acceptam, cui scribendum videtur δυσήνεμον ὀῤῥωδοῦντες. Beckius totum versum 593. uncinis inclusit, tanquam spurium. Vterque versus a poetae manu est, sed locus ita conglutinatus a librariis ex duplici hujus carminis editione, ut pulchre vidit Gerhardus in Lect. Apollon. p. 29. Aliud ὁμοιόπτωτον ejusdem carminis libr. II, 574. 75. bene sustulit Beckius, restituta particula αὖθις, quae pronuntiatione differt a seq. αὖτις, pro qua Brunckius αὐτῶν. Neque huc pertinent ingenii lusus, quibus nonnunquam Ovidius indulsit, ut Remed. Amor. v. 317.

Quam mala sunt nostrae, dicebam, crura puellae!
Nec tamen, ut vere confiteamur, erant.
Brachia quam non sunt nostrae formosa puellae!
Et tamen, ut vere confiteamur, erant.

et Metamorph IX, 487. 88

Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti!
Quam bene, Caune, meo poteras gener esse parenti!

beri inepto interpolatori, qui desiderabat comparationis apodosin“ Si vere interpolator quispiam apodosin desiderabat, homo ille ineptus totum locum accuratius inspexit et acutius judicavit, quam Heynius. Nam, demtis his tribus versibus, totus locus misere esset luxatus et ego foedam hic suspicarer esse lacunam. Comparatio nimirum non pertinet ad praecedentia: *Hic Cyllenius constitit; hinc se ad undas misit;* sed ad ea, quae sequuntur: *volabat terras inter coelumque:* eatenus Cyllenia proles similis erat avi, quae circum litora et piscosos scopulos et juxta aequora humilis volat. Hunc sententiarum nexum emendata interpunctione indicavimus, alioquin tota comparatio claudicat. Invertit poeta ordinem et rem comparandam postposuit comparatae, ut passim solet, v. c. IV, 441-446. X, 434. Quae cum ita sint, non dubium mihi esse videtur, quin injuria hic locus Heynio fuerit suspectus et obelis notatus.

Brunckius, ut supra dictum est, admirabili audicia Aen. IV, 285-86. ejecit, velut versus a male feriato homine ex libr. VIII, 20. 21. huc translatos. Heynius eos in textu quidem tulit, sed asteriscos iis apposuit. De argumenti, quod ex repetitione duci solet, vanitate supra exposui. Sed hi versus ad sententiae integritatem maxime sunt necessarii. Asteriscos recte removit Wunderlichius, sed, dum *atque* defen-

dit eaque particula orationem continuari contendit et post *versat* punctum retinet, non pervidit loci sensum et nexum, qui necessario ita scribendus et interpungendus est:

Vtque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat:
Haec alternanti potior sententia visa est.

Versus 284. non continuat sententiam praecedentem, sed novam exorditur et pronomen *Haec* v. 287. cum v. *sententia* est copulandum, non cum v. *alternanti.* N. Heinsius jam *Vtque* pro *atque* correxit et frequenter errarunt in utraque voce librarii.

Quo magis hic indigne feres Brunckii temeritatem, eo magis mecum eum laudabis, quod Aen. IV, 526. tuitus sit. Heynio hic versus sententiam jugulare, structuram evertere et nervos orationis praecidere videtur: itaque ei asteriscos, qui optimo viro ubique ad manus erant, addidit. De structura bene jam Brunckius monuit, absente hoc versu desiderari verbum finitum, quod deesse nequeat. Quod ad sententiam attinet, in ea ipsa reperisse mihi videor gravissimum argumentum, quod hujus versus γνησιότητα propugnet. Nam comparatio sine eo manca est et truncata. Hujus vero finis duplex est: *somni usus* et *liberatio a curis.* Omnia, inquit Virgilius, animalia nocturno tempore somnum capiunt et curarum laborumque obliviscuntur; sed infelix Phoenissa neque unquam solvitur in

somnos, oculisve aut pectore noctem accipit neque curis liberatur; nam ingeminant curae (v. 530. 31.) rursusque resurgens saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu. Vide mihi praeclaram comparationis concinnitatem, quae, exstirpato illo versu, plane perit. Hiccine igitur versus sententiam jugulat? Wunderlichius, qui post *accipit* v. 531. punctum posuit, doctam orationis inversionem et artificium prorsus ignorabat: quo facto non potuit non irretiri difficultatibus, ubi nullae adessent. Brunckius secus etiam post *ager* v. 525. colo distinxit, quod fieri oportet post *aequora* v. 524. Nam totus locus ita est interpungendus:

Aequora: quum medio volvuntur sidera labsu;
Quum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti,
Lenibant curas et corda oblita laborum.

Quadruplex commemorat poeta animalium genus, quadrupedes, aves, pisces et serpentes. His vero a poeta tributam esse liberationem a curis noctu, quae proprie in homines tantum cadat, id non putassem offendere posse Heynium, qui in Commentario ad Georg. centies juvenes attendere jusserit, quam pulchre, venuste, eleganter, docte et exquisite Virgilius res et notiones, ab hominibus desumtas, ad animalia transtulerit. Idem hunc quoque versum conflatum esse censet ex Aen. IX, 224. 225.; quo jure,

viderint alii. Ceterum me non fugit, deesse h. versum in Medic. aliisque Codicibus: si qui sint, qui id adversus me urgueant, eos ablego ad ea, quae paulo infra de hac re dicturus sum.

Aen V, 181. 182.

Illum et labentem Teucri et risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.

Heynium offendit ejusdem verbi repetitio ideoque versum alterum, velut ignavum et poeta indignum, ὀβελίζει. Defendit eum Ruhkopfius et confert, quoad sententiam, v. 331. Sed tuentur eum in primis ea, quae praecedunt. Menoeten e nave in mare deturbatum Teucri et labentem risere et natantem; at cum ille summa scopuli petiisset et in sicca rupe resedisset, rident revomentem pectore salsos fluctus. Inde apparet, cur poeta eodem iterum verbo, sed variato tempore usus sit. Bene igitur relictus a Tucca hic versus, qui expressus est ex Homer. Odyss. V, 323.

Repetitae vocis causa damnavit Heynius Aen. VII, 587.; in quo judicio assentientem habet magni nominis virum, Valckenarium in Fragm. Callimachi p. 275., quod tamen eum fugiebat. Turnus et Amata Latinum regem ad bellum Trojanis inferendum exstimulant; sed

Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet.

Heynius primo ambigit, utri versuum sit manus admovenda; tandem eo inclinat, ut existimet, utrumque esse inter versus nondum a poeta absolutos et elaboratos, et, cum alterum quoque adjecisset, priorem non potuisse ab eo mutari ob immaturam mortem. Quod ut statuamus, non necessarium esse videtur. Aut enim me fallit meus sensus, aut Virgilius hac repetitione conciliare voluit comparationi majorem vim et elegantiam, et deficiente altero versu, quem Heynius, suadente Heinsio, obelo dispunxit, totus locus tenuior mihi videtur atque invenustior. Enim vero judicium, quod e sensu ducitur, lubricum est et anceps; sed nec poeticae orationi haec verborum eorundem iteratio adversatur, obvia illa in optimis poetis, sed cum additamento quodam, quod gratiam et robur inferat. Res satis observata a Viris Doctis v. c. Vossio Inst. Orat. V. 3. §. 5. Toup. in Cur. Nov. ad Suid. P. II, p. 191. ed. Lips. Ruhnken. Epist. Crit. II, p. 164. 65. Schrader. ad Mus. v. 268. et Observatt. I, c. 2. p. 17. 18. Pet. Bondam. in Var. Lect. II, c. 9. p. 227. Mitscherlich. in Lect. ad Catull. p. 14. 15. ex quorum copiis pauca huc apponam. Hom. Il. XXII, 127.

Τῷ ὀαριζέμεναι, ἄτε παρθένος ἠΐθεός τε,
Παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν.

et Iliad. XX, 371.

Τῷ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Cicero de Divinat. I, 8.

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat et assiduas jacit ore querelas.

Nominatim haec ἀναδίπλωσις, quae dicitur, locum habet in nominibus propriis: v. c. Aen. IV, 247.

Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri.

Aen. V, 116.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.

quem versum miror ab Heynio non esse notatum asteriscis, cum abesse possit, otiosus sit et etymologiae speciem prae se ferat. Ovid. Metamorph. XII, 172.

Corpore non laeso, Perrhaebum Caenea vidi,
Caenea Perrhaebum.

Sed quid ex Ovidio exempla petam? Ecce quot hujus generis versus Virgilius offerat: Eclog. VI, 20. VII, 2. VIII, 55. X, 72. Aen. V, 493. 568. VI, 162. IX, 774. X, 180. 200. 778. atque haec tectum sartumque ab omni corrigendi molimine praestabunt Aen. XII, 856.

Armatam saevi Parthus quam felle veneni
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit.

ubi vide, quantopere aestuarint Interpretes[5]). Igitur haud scio an non ex his locis excusanda sint geminata verba *pelagi rupes*, in quibus nihil languoris video, si cum J. H. Vossio eos transtuleris:

Er, wie ein Felsen des Meers unbewegt, so steht er entgegen,
Fest wie ein Felsen des Meers, wann groſs anflutet die Brandung.

Attamen haud raro VV. DD. molestam et vitiosam verborum repetitionem deprehenderunt, ubi nulla plane erat ob significationis discrepan-

---

5) Non differt ab hisce locis Aen. X, 705. *Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna Occubat:* ubi poetae manum a Bentlejo restitutam esse, nemo dubitet. Sed idem Vir egregius alias tam morosus hac in re est, ut saepe nescias, rideasne hanc morositatem an indigneris. Ita Horat. Epist. I, 1. 20. repetitam vocem *longa* in *lenta* mutavit: quod conamen docte rejicit Ouwens in Noct. Hag. III, 6. p. 369. Sed nusquam magis et effrenatius sibi indulsit, quam in Lucano, in cujus Pharsalia plus quam trecentos versus, non alio nomine suspectos, emendare conatus est: quapropter merito vapulat a Schradero Emend. c. 8. p. 155. Ad Lucan. II, 165. vocem post undecim versus recurrentem ait esse certissimum mendi signum: et idem, qui hanc legem sibi scripserat, Phars. II, 337. pro *cinerem* correxit *crines*, cujus notionis vox superiori versu praecesserat, eamque rem exemplis excusat! Simillimus Bentlejo est Marklandus, qui in Statii silvis permulta loca ideo mutavit. Sylv. III, 3. 184. correxit *pacavimus iras* pro *placavimus*, quia haec vox tertio abhinc versu recurrat; sed

tiam. Hujus rei ignoratio Heynium in fraudem et temeritatem induxit Aen. IX, 86. 87. quos versus, tanquam scabros, hiulcos nec cum sententia cohaerentes, itidem dispunxit, miratus, eos neminem offendisse. Plane deletos vult, et, cum intelligeret, saltem v. 87. fulciri pronomine *Has* sq. versus, hoc, reclamantibus Codicibus, in *Hanc* mutavit. Cui correctioni contextus refragatur; nam Cybele Aeneae non totam silvam, sed arbores tantum memoratas dedit. Ruhkopfius recte obeli signa delevit, et ita h. locum juvare studuit, ut post *annos* majorem interpunctionem poneret: qua tamen

---

optionem lectori relinquit, utro loco hanc correctionem restitutam malit. Quid? idem ille Sylv. II, 1, 198. p. 83. emendat *Inde magis sequitur; neque enim magis ille sequentem:* ubi omnes Codices *ille trahentem*, atque voces in eodem versu redeuntes larga exemplorum copia excusat. Nonne hoc est Diam Criticam, castissimam illam virginem, vi stuprare? Eandem Marklandi licentiam in Graecis poetis notarunt Seidlerus ad Euripid. Iphig. Taur. v. 611. et Erfurdtius ad Sophocl. Trachin. v. 1003. p. 328. prudentissimi Critici. Sed et alii saepe hoc fastidio se abripi passi sunt, ut sanissimos locos audacter, refragantibus Codicibus, correctionibus inutilibus tentarent. Ita Brunckius in Apoll. Rhod. I, 234. correxit ἐπάξμενα pro ἔπαρτεα, quia versu sq. ἐπάρτεες: quod sapienter rejecit Beckius. Differt Theocrit. Id. XX, 26. 27. ubi major suspicio vitii, oculorum aberratione orti, uti acute vidit Valckenarius p. 229. ed. Heindorf. Citra necessitatem eo nomine suspectum habuit Heinsius Claudian. d. R. Pros. II, 263. In Tibullo et Propertio non magis modesti erant Editores,

ratione vereor, ne locus obscuratus magis sit et asperior factus. Omnia hic sunt perspicua, si distinxeris:

Pinea silva, mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis.

et cum J. H. Vossio verteris:

Sieh ein Fichtengehölz, mir werth seit Jahren der Vorzeit,
War mein Hain auf der Höhe des Bergs, wo man Opfer emportrug,
Von schwarznadliger Kiefer und Ahornbalken gedunkelt.

---

quorum pruritum jure compescuerunt Vulpius ad Tibull. III, 4, 17. et Hemsterhusius ad Propert. II, 2, 11. p. 923. ed. Santen. Vitiosam nonnunquam esse et vituperandam hanc repetitionem, non nego. Displicet mihi Aen. I, 553. *Si datur Italiam, sociis et rege recepto, Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus:* ubi nemo offendit, et vide Heynium ad Aen. VIII, 157. 59. Alia notarunt et emendarnnt VV. DD. v. c. Bondam. Var. Lect. p. 330. Burmann. ad Anthol. Lat. T. I, p. 38. Henr. Weytingh ad Epitom. Iliad. Homer. p. 90. (Lugd. Bat. 1809.) et Heinrich ad Mus. p. 78. Saepius tamen falsi sunt et morosiores in his erant. Ex Virgilio hic pauca addam: plura olim daturus et vindicaturus ad Val. Flacc. IV, 579. Ita v. c. Aen. I, 315. *Virginis os habitumque gerens et virginis arma* sine causa idonea vituperat Heynius; Aen. I, v. 427. 429. repetita vox *alta* diversa, quam habet, notione excusatur; idem valet d. v. 504. et 505; Aen. I, 448. *Aerea cui gradibus — nexaeque Aere — stridebat aenis*, tuetur Homeri exemplum Odyss. VII, 86-91. Geminus

Fluctus, ut ajunt, in simpulo excitasse mihi videtur Heynius Aen. VIII, 283. 84. quorum versuum interpretationem, quocunque te vertas, impeditam esse pronuntiat. Etiam his obeli signa appicta vides. Quid? censet eos a poeta in margine appositos esse ad v. 279. et huc importune translatos. Cujus suspicionis acumen ego, qui est fortassis meus stupor, non assequor. Sufficiet, spero, ad probandam

---

est locus Aen. IV, 138. *Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum, Aurea purpuream subnectit fibula vestem:* quam orationis elegantiam multis exemplis post Victorium Var. Lect. XXXIII, c. 12. illustravit Burmannus ad Ovid. Met. II, v. 107. p. 100. Temerarie Heynius Aen. V, v. 136. et 137. ab alia manu insertos et confictos ex versibus alibi occurrentibus aut ab ipso poeta inter ingenii experimenta appositos putat. Bryantus adeo delendum censet v. 136. Vtrumque satis tutantur Aen. I, 709. Ecl. X, 19. et ea, quae collegit Burmann. ad Claudian. d. Bell. Gild. v. 245. Passim orationis artificium subest, oppositis quaesitum, ut Aen. II, 632. 33. quod miror Heynium praeterire potuisse. In comparationibus saepe necessarium est, ut *frigore* et *frigidus* Aen. VI, 309. et 311. *penitus* Aen. VIII, 242. 43. et *fremebant* et *fremunt* Aen. X. 96. 98. quo etiam pertinet Homer. Odyss. XIX, v. 204-8. ubi verb. τήκεσθαι quinquies repetitur, nisi hoc malis ad gratam illam negligentiam referre cum Ernestio Opusc. Ph. p. 132. Gratiam et orationis veneres inde captare solet Ovidius v. c. A. Am. II, 279. III, 189, Fastor. IV, 619. cf. Arntzenius Epist. Crit. p. 38. Quod Ovidii studium ignorantes librarii saepe loca vitiarunt, ut docuit Werferus in Act. Monac. I, 4. p. 545. In multis tamen poetae Sulmonensis locis ejusmodi repetitione verborum agnoscas licet gratam ejus negligentiam. Saepe vero

horum versuum γνησιότητα justa nexus demonstratio. Aeneas matutino tempore venit ad Evandrum, Herculis sacro occupatum, v. 102. Evander Trojanos invitat ad sacra, quae differre nefas, celebranda; v. 173. et dapes et pocula reponi jubet. Postquam est exemta fames, v. 184. Evander Aenean causam sacrificii, a Caci nece repetitam, edocet, eum et socios adhortatur, ut comas fronde populea cingant com-

---

iterantur eadem verba cum vi et robore, ut in Hermesianactis Eleg. fragm. vox δεινὸς v. 83. 84. 85, v. Ilgen in Opusc. T. I, p. 320. Eodem retulerim Juvenal. Sat. VI, 279-81. *Dic, Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem: Haeremus. Dic ipsa:* ubi Ruperti et Achaintre, dum contra meliores Codices *hic Quintiliane* scribebant, ne *dic* quater repeteretur, locum vi sua privarunt. Nolo hanc repetitionem illustrare facetiis Plauti Capt. Act. III Scen. I, 22. *Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus;* sed conferri meretur Statii Achill. II, 266. *I (neque enim tantos ausim revocare paratus) I. cautus nec vana Thetin timuisse memento, I. felix nosterque redi;* et Claudian. in Rufin II, 240. *Te, quo libet ire, sequemur, Te vel Hyperb. — Thulen, Te vel ad incensas — comitabor arenas.* Sed in his repetitionibus notandis probe consideranda est poetae cujusvis indoles: ita in Seneca Tragico, qui ubique tumet turgetque, lubenter feres Troad. v. 174. *Movere silvae capita, et excelsum nemus Fragore vasto tonuit et lucus sacer;* neque cum Marklando ad Stat. Sylv. p. 157. offenderis ej. Herc. Fur. v. 41. repetito verbo *jussa, jubere,* nec cum eodem corriges Octav. v. 388. *Solis alternas vices.* De prosaicis scriptoribus vide, quae eo nomine monet Wolfius ad Sueton. Octav. c. 72. et Goerenzius ad Cicer. Academ. II, 34, §. 111. p. 200.

munemque vocent deum: v. 279. *Ocius omnes*
In mensam laeti libant, divosque precantur. Interea vesperascit veniuntque sacerdotes, v. 281., atque

Instaurant epulas, et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Epularum instauratarum mentio necessaria erat, quia illae, quibus Aeneas cum sociis interfuit, omissae erant, nec unquam sacrificium, quod hic cantu et saltatione ἐγκυκλίῳ s. περιβωμίῳ celebratur, sine epulo instituebatur. Quare mihi non persuasit Heynius, has epulas ad solam libationem spectare. Nam lancibus, quibus, ut poeta ait, aras cumulabant, non thus, sed exta haud dubie offerebant, uti jam Servius explicuit. Quod vero ad dona grata mensae secundae attinet, quae pro temporum heroicorum ratione nullo pacto ad bellaria referri posse, jure Heynius negat, mihi subnata est suspicio, poetam his verbis significare voluisse ἱερὰ ἀναίμακτα, poma frugesque, ut opposita essent extis, quae lancibus offerebant. Duplex igitur ἱερῶν genus innuit poeta et ad prius denotandum, quod ex pomis, frugibus aliisque id genus rebus constabat, utitur verbis: *dona grata mensae secundae*, quia, ut notum est, ejusmodi res secundas Romanorum mensas constituerent. Cupidissimus sum audiendi de hac qualicunque mea opinatione Boettigeri, Viri Eruditissimi, Patroni Optimi, judicium, qui ne-

scio an in libello, an. 1789. edito, quo hunc locum cum seq. hymno illustravit, hanc rem tetigerit. Innotuit enim mihi ille libellus tantum ex Heynii notis. Heynius porro existimat, his duobus versibus ejectis narrationem bene procedere: quod equidem vehementer dubito. Sequuntur vero haec:

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt.

Quoties hunc locum legi, toties miratus sum, neminem Interpretum haesisse in his versibus, neque exputare potui, quo modo cum v. 281. sint conciliandi. Quae tandem junctura: *Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant, Pellibus in morem cincti flammasque ferebant. Tum Salii ad cantus-- Populeis adsunt evincti tempora ramis.* Si sacerdotes Salii sunt eorumque magister s. praesul Potitius; quam male tunc copulantur: Sacerdotes ibant flammasque ferebant; tum Salii ad cantus adsunt! Accedit, quod nullus antiquitatis scriptor Herculi Salios assignet. Scrupulum hoc jam Grammaticis injecit. Macrobius Saturn. III, c. 12. p. 444. ed. Z. ad incitas hac re redactus, hanc difficultatem ita expedire studet, ut poetam Herculi Salios tribuisse dicat, quia Chaldaei stellam Herculis vocarint, quam reliqui omnes Martis appellabant. Non moror hoc ineptum Grammatici commentum.

Heynius, Servio duce, hoc ideo a poeta factum esse statuit, quandoquidem in vetere Latio Saliorum nomen commune sacerdotum fuisse videatur a saliendo, quia omnis res sacra cum tripudio et cantu conjuncta. Sed fac, quod praeterquam probatione indiget, Saliorum nomen commune fuisse sacerdotum: vide mihi, quid inde proficias ad sententiarum concinnitatem et orationis elegantiam! Nonne hoc idem esset, ac si poeta dixisset: *Jamque sacerdotes ibant; Tum sacerdotes ad cantus adsunt?* Bene advertit Heynius, illud quoque notabile esse, quod Salii seniores et juniores memorentur: de quibus quis unquam fando aliquid audivit? Et num tibi probabile est, Virgilium, in pervestigandis et docendis sacrorum rituum originibus diligentissimum, fuisse ausum, aequalibus suis quidquam venditare, quod omnis Romana antiquitas ignoraret? Οὐδὲ πρὸς Διόνυσον! Quid igitur? Mihi non dubium est, quin hic lateat foedum ulcus et inveteratum, omnibusque, quos habemus, Codicibus antiquius, suspicorque scripsisse Virgilium:

Tunc alii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Codex Roman. offert *Tunc:* jam qui Codices manibus versarunt, sciúnt, quam saepe finalis litera *c* sequenti adhaeserit voci et in sibilam transierit, et aliquoties ita turbas dederit. Putidae esset diligentiae, exempla de re tam

trita afferre. Vide lectionis varietatem, quam ego notavi ad Val. Flacc. VIII, v. 77. Pronus igitur error et doctrinae specie commendabilis. Servii et Macrobii testimonium nihil probat, nisi hoc, eos jam invenisse in libris suis illud vitium eique auctoritatem quandam parasse. Et quot ulcera in antiquis scriptis jam a Viris Doctis persanata sunt, quibus omnes Codices aegrotabant, a Grammaticis juxta ac Scholiastis propagata. Hic sola ratio, et sententiarum lux necessitasque arx esse debet, cui innitatur disputatio et judicium. Jam vide, quam praeclare nunc omnia h. l. procedant. Veniebant sacerdotes et flammas ferebant; cum advenissent, instaurant epulas, et sacrificia incruenta et cruenta aris imponunt; tunc adsunt alii, senes juvenesque, et circum incensa altaria tripudium chorumque instituunt hymnoque Herculis laudes canunt. Ita bene distinguuntur saltantes a sacrificantibus, ut alibi. Facit huc locus Callimachi H. in Dian. 237-42.

Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες, πολέμῳ ἐπιθυμήτειραι,
ἓν κοτε παῤῥαλίῃ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο,
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ· τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν Ἵππω.
Αὐταὶ δ', Οὖπι ἄνασσα, περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
Πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
σησάμεναι χορὸν εὐρύν.

ubi versus 239. 40. cum Ahlwardto vertendi sunt:

die Opfer besorgete Hippo;
Aber die übrigen, Upis, die tanzeten Waffentänze.

Nemini, opinor, offensioni erit repetitio verbi *ferebant* v. 282. *ferunt* v. 284. *ferunt* v. 288. cum illud significatione diversa usurpetur, et primo loco sensu proprio, altero pro *offerunt* et tertio pro *efferunt* dictum sit. Haec habui, quae de hoc loco perquam difficili dicerem. Judicium esto penes Viros Doctos.

Addam unum adhuc Aeneidos locum, quem Heynius temere, ut videtur, suspectum habuit. Legitur ille Aen. X, 475. ubi Pallantis et Turni *μονομαχία* describitur:

At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit hastam.

ubi Heynius ita argutatur: „de versu *Vaginaque*, valde ambigo; inutile enim et otiosum hoc intulit poeta; ensis nondum poterat esse usus, exspectandum enim, ut alter hastam emitteret, donec propius accedere et cominus pugnare possent.“ Ex industria adscripsi ipsa Heynii verba. Etiam hunc versum obelis dispunxit, quem maxime genuinum esse puto et elegantem. Nonne enim fortis viri erat, emissa hasta, gladium stringere et ita se accingere ad pugnam cominus ineundam, si et sua et adversarii hasta incassum esset emissa? Et haec pictura animosi juvenis valet, si quid sentio, ad movendam miserationem, utpote qui, antequam ipsi ensis usus esset, Turni hasta confossus cecidit.

Sed jam contrahenda nobis sunt vela, et a Virgilio, in cujus carmina pro eo, quo ea amplectimur, studio et amore paulisper exspatiati sumus, redeundum ad ea, quae poetarum interpreti in secernendis versibus adulterinis a genuinis advertenda esse videntur.

Huc vero refero *διττογραφίας* h. e. eos versus, quos poetae in pangendo carmine simul cum aliis in chartam conjecerunt et margini allegerunt, ut olim retractarentur ab ipsis et emendatiores, extrusis aliis, textui insererentur. Valet hic, quod supra de Aeneidos hemistichiis disserui. Jam si poetae per fata non licuit ultimam suo poemati admovere manum atque hoc post auctoris mortem imperfectum adhuc evulgatum est, mirationem facere non potest, nos in eo versus invenire, et forma et argumento displicentes et maxime *ταυτολόγους*, cum ii, qui primum ediderunt carmen, curiosi, ne quid periret, illos versus, utcunque textui adaptatos, saepissime reciperent. Recte hoc jam observatum est a Viris Doctis: v. c. a Bentlejo ad Lucan. X, 123. Gesnero ad Claudian. d. R. Pr. I, 138. ab Oudendorpio ad Lucan. IV, 760. et VI, 186-88. et 556. et Heynio ad Virgilii Aeneida, passim tamen argutius, quam verius. Idem statuit de principio Horatii Sat. X, Libri I. Heindorfius p. 205. quo jure alibi videbimus. In promtu autem est videre, quanta mentis inten-

tio et judicii subtilitas requiratur ad ejusmodi διττογραφίας inveniendas, et quanta opus sit prudentia et modestia, ne diffamatae monachorum sedulitati et industriae adscribas, quae vere a poetae manu profecta sint. Ejusmodi tamen loca in nullis superesse posse carminibus, nisi quae imperfecta nec absoluta ad nos pervenerunt, per se patet.

Non minore cautione ac modestia tractanda sunt eorum carmina, quae extemporaneo labore fusa esse, ipsi auctores professi sunt. In his, sive singula verba et locutiones spectes, sive partium coagmentationem, multa sint necesse est, quae subactum optimorum lectione scriptorum judicium vehementer offendant. Huc pertinent Statii Silvae: in quibus emendandis dici non potest quantopere hariolati sint editores, in his nominatim Jerem, Marklandus, divini vir ingenii, quem et errantem non possis non admirari. Non patiuntur hujus libelli angustiae, enumerare illa loca, quae Marklandus, hujus rei plane immemor, tanquam versus κακῆ κόμματος et ludibundi monachi foetus textu ejicere vel uncinis includere ausus est, et examinare rationes correctionum, quas his in carminibus fecit, ut pristinum, quem animo conceperat, nitorem iis restitueret. Neque illud opus est, cum jam Handius meus hanc interpretis provinciam praeclare sit auspicatus

defendendis et erudite vindicandis tribus versibus Sylv. I, 1. 85-87 p. 127-33., quem et aliorum, quos Marklandi acumen suspectos reddidit, locorum patrocinium aeque felici susceptum esse successu, bene auguramur.

Diligentissimam denique curam et subtilem animi attentionem desiderant ea poemata, quae ab ipsis auctoribus, dum in vivis essent, bis edita sunt. Hinc enim factum est, ut serius librarii utramque recensionem in unam conglutinarent et alteram ex altera interpolarent atque augerent. Quae res parum observata antiquis interpretibus, quot et quantas excitarit turbas, in vulgus constat. Non opus est, ut hic plura de ea re exponantur, cum nota sint, quae nostra memoria Viri docti, v. c. Hermannus de Aristophanis Nubibus et majoribus Homeri Hymnis, Boeckhius et Osannus in Anal. Crit. de Euripidis Medea, Ruhnkenius, Beckius et Gerhardus in Lect Apollon. de Apollonio Rhodio et Eichstadius de Lucretio acute et erudite disputarunt. Ex eodem fonte Werferus in Act. Monac. l. c. p. 509. ap. Ovid. Heroid. XVI, 39. lacunam centum et quatuor versuum et defectum finis Epistolae XXI. derivat. Quod mihi secus fecisse videtur, quippe cui persuasum sit, ex duplici carminis alicujus editione supplementa, additamenta et repetitiones potuisse oriri et vere ortas esse, nequaquam vero lacunas et inte-

grarum partium omissiones, quae unice ex librariorum socordia et stupore repetendae esse videntur.

Sed jam delati sumus ad secundam praecipuamque Dissertationis nostrae partem, in qua de aliquot C. Valerii Flacci locis suspectis et ex vulgaribus Argonauticon editionibus injuria, ut nobis videtur, exsulantibus disputare propositum est. Quo melius vero ad hujus argumenti tratactionem munita nobis sit via, quaedam, tanquam προτέλεια amplioris inquisitionis, de variis incredibilibusque librariorum erroribus in describendis libris praemittenda sunt.

Hic autem exclusa esse volumus variantium lectionum monstra, quae in cunctis antiquitatis monumentis librariorum stupor peperit atque inscitia, quaeque saepe, ut Salmasius in Epist. LXXXVIII, ad Gronovium scripsit, non vinci possunt sine audacia et temeritate. Disseremus tantum nonnulla, prouti res postulat, de gravioribus, quae illorum incuria atque oscitantia veterum scriptis inflixit, vulneribus, rarissime Codicum auxilio, nunquam ingenii ope sanandis. Lacunas dico, quae hodieque plura antiqui aevi scripta plus minusve foedant.

In poetis ortae sunt lacunae, dum librarii in describendo Codice oculis ab hoc versu ad

alium aberrarunt; quod inprimis tum accidisse animadvertimus, ubi versus iisdem verbis vel incipiebant vel finiebant. Exempla hujus rei bene multa notarunt Interpretes, ex quibus commemorasse sufficiet Isaac. Vossium ad Catull. p. 241. Vulpium ad eund. p. 377. Burmannum ad Lucan. IX, 907. Dorvillium ad Charit. p. 552. et Drakenborch. ad Liv. IX, 11, 11. Hinc horrendae in carminibus sunt excitatae turbae. Nam versus vel plane omissi sunt et in perpetuum textu exsularunt, sicut supra p. 66. e Virgilio notavi, vel alio trajecti, atque incommodo inserti loco, dum librarii, intellecto errore, omissum versum aut statim post illum, cui praeponendus fuisset, subscripserunt, aut margini alleverunt aut ad paginae calcem adjecerunt, unde alii eundem alicubi, prout ipsis commodum videbatur, textui obtruserunt.[6] Hocce modo turbatus est Virgilius Georg. IV, 291. quem praeclare restituit J. H. Vossius p. 832. et Juvenalis II, 24. de quo optime meruit Achaintre.

Neque tamen semper simile versuum initium vel finis errandi ansam dedit librariis, sed multae aliae versuum trajectiones ex solita eo-

---

6) Ex prosaicis scriptoribus hujus rei exempla collegit Schweighäuserus ad Appian. T. III. p. 289.

rum oscitantia derivandae sunt: in quibus ordinandis unice sequenda est judicii subtilitas et sententiarum nexus et ratio. Ita Heynius egregie turbas composuit Aen. X, 713. et similem medelam exspectat adhuc Lucan. X, 289-97. Neque immunis ejusmodi erroribus mansit Valer. Flaccus. Ita v. c. Libr III, versus 10. in Burm. Cod. post. v. 25. legebatur: qui error item in Editt. Princip. et Bonon. 1498. Venet. 1500. et Paris. 1512. propagatus invenitur. Gravius affectus est finis Libri VIII., ubi v. 479. *Quid dubitas?* inepte insertus est versibus 475. 476.; quem praeposterum ordinem omnes Interpretes senserunt, ideoque h. versum vel ejecerunt, ut Engentinus in editt. Lugd. et Argent. seqq. Colin. et Gryph., vel compegerunt eum v. 460. sic:

Jam sceleris dominumque pati, magnumque minatur,
Quid dubitas? heu, dure, siles? sic fata parantem etc.

cui rationi totus repugnat contextus. Pius et Carrion subdititium eum esse statuunt; sed recte jam Maserius in edit. Paris. 1519. suo eum reposuit loco, quem Editores sequi oportebat. Igitur Delamallus, qui hujus inventi laudem gloriabundus sibi arrogat, vel vere non vidit Maserii editionem, etsi eam saepe citat, vel, ne quid malignius suspicer, animi levitate eam inspicere praetermisit. Idem Tom. III, p. 335. suspicatur, aliquot versus esse omissos transpo-

sitosque Libr. VIII. inde a v. 223-32. Cum vero doctissimus vir suam sententiam argumentis confirmare et, quem sententiarum nexum sibi fingat, docere supersederit, non licuit mihi esse tam acuto, ut conjectando et divinando ejus acumen assequerer. Et si eo, quo in Not. Crit. fecimus, modo textum constitueris, sententiarum nexus et narrationis tenor satis aptus concinnusque est. Neque, si qua sunt, quae melius ordinata et limatiora esse velis, ut v. 227. obliviscendum est, te versari in eo libro, quo imperfectior nullus e poetae manu prodierit. Librariorum culpam, exceptis singularum vocum corruptionibus, hic video nullam.

Porro fieri potuit, ut librarius, vel laboris taedio vel infelici casu, plures versus omitteret; quod factum esse animadvertimus potissimum in fine carminum. Quo modo periisse puto extremam partem Ovid. Epistolae XXI.; quod Werferus parum probabiliter ex duplici recensione deducit. Alii versum, quem in exemplo suo in ora et in fine pagellae appictum invenerunt, ignorantes, cui loco sit adaptandus et inserendus, itidem eum margini vel calci paginae adscripserunt, donec sequeretur alius, qui eum velut spurium plane omitteret. Hinc tantus Codicum dissensus et admirabilis saepe eorum discrepantia. Ex eo enim Codice, qui

familiam ducebat, illi errores velut per traducem in alios deinceps propagati sunt. Nonnunquam etiam scioli isti homines lacunam proprio Mārte complere et luxatum loci sensum instaurare conati sunt vel novi versus adjectione, uti a scriba Cod. Carrionis Arg. I, 827. tentatum est, vel mutata aliqua voce versus praecedentis sequentisve: qua arte passim etiam recentiores editores usos esse, infra videbimus.

Sed non tantum paucos versus videmus hac librariorum oscitantia suo omissos loco, transpositos et tandem plane deletos, sed etiam integrae et satis longae carminum partes in multis desiderantur Codicibus et non nisi in paucis iisque saepe recentioribus inveniuntur. Neque tamen de earum genuina origine ulla esse potest dubitatio. Huc pertinent XXII. illi versus Aeneidos II, 567., et CIV. Ovidii Heroid. XVI, 39. qui in optimis Codd. desunt et tamen ad contextus integritatem pernecessarii sunt suaeque γνησιότητος argumenta produnt certissima. Ita quoque ap. Lucanum Libr. VI. in Cod. Voss. 3. ingens est lacuna inde a v. 617. usque ad Libr. VII, 300., quae igitur DXII. versus complectitur: vide Oudendorp. T. I, p. 484. Etiam hae partes nonnunquam diverso plane inepto-que loco in hoc illove Codice adtextae inveniuntur, in aliis vero plane desiderantur. Causa hujus rei inde videtur esse repetenda, quod

scribae in vertendis Codicum foliis non unum, sed duo plurave verterent et, incuriosi nexus, scribendo pergerent. Quod si illum errorem animadverterant, animadversum saepe ita emendarunt, ut omissam particulam quocunque loco redhiberent. Insigne hujus generis exemplum est in Luciani encomio Demosthenis, ubi integrum folium alieno loco positum suo ordini restituit Gesnerus. Ex eodem fonte derivo mirabiles locorum trajectiones, quae in Val. Flacci Argonauticis deprehenduntur. Libro VIII, versus 136-186. in Codd. Burm. Monac et Edit. Pr. suo omissi loco post v. 385. trajecti legebantur. Saltem in Edit. Pr., quam e Bibliotheca Regia Dresdensi acceptam diligentissime contuli, illa particula in aversa folii parte debebat incipere et novum folium incipit post v.385. Jam cum Editiones principes e Codice plerumque ita expressas esse constet, ut etiam illius paginas et folia reddant, a vero non abhorret, eandem rationem fuisse in utroque, quocum Edit. Pr. concinit, Codice, cujus tamen rei forte incuriosi erant Burmannus et Delamallus. Similes turbas deprehendi in edit. Paris. 1512. 4. quam mihi officiosa Beigelii humanitas Dresda misit. Haec ipsa editio, quantum potui investigare, ex Cod. fluxit atque in ea Libr. IV. post versum 723. inserti leguntur e Libr. V, versus 35-62. continuis paginis, et Libro V. legitur omissa illa libri quarti pars: quae quidem locorum traje-

ctio dubito an typothetarum errori tribui queat. In eadem editione Libri VIII, post v. 357. ilidem continuis paginis, aversum folii latus incipit: *Vrguent et precibus* --- finitque v. *Nec subitis;* et adversum folii sequentis latus incipit v. *Solvitur effunditque* et finit v. *At Minyae*, et ejusdem folii aversa pagina pergit *Aesoniden longeque trahit* et sqq. Quo, quaeso, alio modo, nisi ex errore librariorum in vertendis Codicis foliis harum turbarum originem explicabis? Ita etiam in edit. Bonon. 1498. desunt e libr. VIII, 206-367. Omnino jam nunc velim animum advertas, quam misere a librariis habitus sit Liber Argon. octavus, quo faciliores aures praebeas iis, quae infra de XVI. versibus, quos hoc libro reposui, disertius sum expositurus.

Ex iis, quae hactenus de librariis dixi, satis, opinor, manifestum erit, qui fieri possit, ut nonnunquam unus tantum Codex eo, quo ceteri omnes lacunosi sunt, loco integer reperiatur et sanus, atque ex eo solo carminis lacunae compleri et resarciri queant. Si vetustus est ille liber et bonae notae, eo minus dubitandum est, quin ejus auxilio utamur; sed nec recentioris aetatis Codex hac in re est spernendus, utpote qui ex antiquiore et incorruptiore ductus esse possit. Jam, si a paucis discesseris editoribus, quotus quisque est, qui non maluerit Codices numerare, quam ponderare, et

hiantes carminis partes audaci potius correctione, quam unius Codicis praesidio restaurare? Recte monet Vulpius ad Catull. p. 378. tota saepe carmina pro spuriis habenda esse, si res ex Codicum numero aestimetur. Longae illae carminum partes, quas supra ex Virgilio et Ovidio commemoravi, paucorum itemque recentiorum Codicum testimonio nituntur, neque tamen dubitare licet, quin genuinae sint et ad contextus integritatem pernecessariae. Claverius et N. Heinsius ap. Claudian. in Pr. et Olybr. Cons. v. 200. quatuor versus receperunt et defenderunt, licet in plurimis atque optimis Codd. absentideoque a Delrio damnarentur. Locupletissimus hanc in rem testis est etiam locus Val. Flacci IV, 196. qui ante Carrionem ita legebatur:

Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Pandit iter; mox omne pecus formidine pulsa
Pone subit: jamque et mediis praecedit ab undis.

Foedam lacunam quis hic non senserit? Sed nulla salus e libris scriptis. Hinc desudantes vide trepidantesque interprêtes circa hanc voraginem. Fabricius Varranus, Episcopus Camers., notante Pio, h. l. legebat:

Qualiter ignotis spumantem finibus amnem
Pan intrat;

atque hujus correctionis auctorem prodit Asclepium quendam. Eandem correctionem docta manus adscripserat edit. Pii, quam e Bibliotheca

Georg. Aug. Goettinga mihi misit Reussius. Sed jure eam vocat Carrion emendationem rustico aliquo et Pane dignissimam, neque enim patet, quo pacto cum seqq. sit concilianda. In Aldina legitur hic locus integro sensu:

Qualiter ingressus spumantem taurus in amnem
Pandit iter;

qui locus itidem confirmat, quod alibi fassus sum et in Prolegomenis olim probabo, Aldinam editionem ex nullo Codice esse expressam et, quidquid varietatis in ea deprehendatur, a correctore esse: quod miror non animadvertisse editores, qui Aldi Codicem aliquoties crepant. In desperatis hic locus esset ponendus, nisi Codex Carrionis absentem versum suppeditasset, quo egregie lacuna expletur:

Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Taurus aquis, qui primus init spernitque tumentem,
Pandit iter.

Quis dubitet de genuina hujus versus origine ejusque necessitate ad sensus perfectionem, licet eum unus tantum Codex habeat, in ceteris omnibus desideretur?[7] Nemo igitur cunctetur,

---

7) Nolo molestus esse congerendis id genus exemplis, quorum magnam copiam in scriniis habeo paratam. Sed liceat mihi subjungere similem Lucani locum, qui, ab interpretibus turpiter neglectus, hodieque aperta lacuna hiat, licet praesentissimam medelam nonnulli Codices offerant. Legitur ille Phars. IX., ubi Julius Caesar in

versus ex uno paucisue Codicibus recipere, qui internas habeant γνησιότητος notas. Ad has vero tria pertinere mihi videntur. Primum doceatur necesse est, eo, quo aliquot versus in hoc illove Codice inveniantur, loco vere esse lacunam. Quod si hoc probatum est, deinde videndum, num reperti versus claudicantem nexum firment sententiamque hiantem resarciant atque instaurent. Denique utrum illud supplementum poetae dictionem nativumque orationis colorem referat, an monachi sapientiam redoleat. Ad haec omnia dignoscenda opus est, ut saepius repetita lectione in justam

---

Trojae dirutae ruinis versans Deos cinerum, Phrygias colerent quicunque ruinas, v. 990. precatur v. 997.

— — *date felices in cetera cursus:*
Restituam populos, grata vice moenia reddent
Aesonidae Phrygibus Romanaque Pergama surgent.

Quis, quaeso, est, cui non displiceant verba *Restituam populos* tam nude posita? et cui non suboleat, lacunam hic esse, librariorum somnolentia ortam? Recte. Etenim Bersmannus ait, ante hunc versum exstare alium: *Constituam sparsas acies replebo ruinas.* Eundem in Vossiano I. reperit Oudendorpius, ubi rectius *arces* pro *acies:* quae verba etiam ap. Virgil. Aen. IX, 639. commiscentur. Burmannus eum invenit in Barber. et a m. sec. in Thuan. 3. eratque item in quinque Cortii Codd. Burmannus cum Oudendorpio eum pro spurio habet. Sed ego nullus dubito, quin hic versus, si quis alius, sit a poetae manu. Corrigo igitur et interpungo:

— — *date felices in cetera cursus.*
Constituam sparsas arces, replebo ruinas;
Restituam populos.

Librariorum error in hoc versu omittendo pronus erat

scriptoris consuetudinem veneris nec desultoria levitate huc et illuc vagatus ejus ingenium dicendique formam cognoveris et proprias carminis virtutes primis tantum labris degustaveris. Illa si perspicue evidenterque declaraveris, non necessarium est, ut ubique modum doceas, quo illi versus textu exciderint vel huic illive loco fuerint adnexi atque inserti.

Jam, quae hactenus disseruimus, ad Val. Flacci Argonautica transferemus et ad ea applicabimus loca, quae ad hunc usque diem, quia in uno tantum paucisve inveniantur Codicibus,

---

ob verborum initialium similitudinem. Semel omissus in aliis quoque deesse coepit. Vt nihil dicam de versus indole, quae spirat solitas poetae declamatoris ληκύθους; propugnat eum etiam contextus. Loquitur Lucanus de Caesaris consilio Trojam migrandi (de quo Sueton. c. 79.) et recidiva Trojae moenia instaurandi. Jam cum in seqq. dicat *grata vice — surgent*, debebat, si quid video, praecedere, *Sparsas esse arces*, *Trojam in ruinis jacere*. Editoribus Lucani offensioni fuisse videtur verborum synonymorum repetitio *Constituam et Restituam*: quae res quantilli sit momenti tum in aliis poetis, tum maxime in Lucano, supra satis superque probasse mihi videor. Neque illi versui hoc obstat, quod Troja urbs jam ante Caesaris tempora condita fuerit, v. Casaubonus ad Strabon. XIII, p. 595. Lucanus, ut poeta, loquitur; alioquin de Caesare supra v. 964. dicere non potuisset: *Circuit exustae nomen memorabile Trojae, Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri. Jam silvae steriles et putres robore trunci Assaraci pressere domos et templa deorum Jam lassa radice tenent: ac tota teguntur Pergama dumetis: etiam periere ruinae.*

ex editionibus hujus carminis omnibus exsularunt, quaeque, si ab uno discesseris, omnes γνησιότητος numeros habere nobis videntur. Quam sententiam quo confidentiori animo foveamus et propugnemus, haec potissimum faciunt. Primum quod Val. Flacci Argonautica ob insignem, qua premuntur, orationis argumentique difficultatem atque obscuritatem, antiquitus non diligenter lecta fuisse videntur, uti jure ex Codicum paucitate conjicere licet, ideoque improbabile est, ea tot patuisse lectorum additamentis, quot in iis, ex plerorumque persuasione, occurrant. Deinde singula loca, foedissimis contaminata vitiis, clarissime docent, hoc carmen a stupidissimis atque imperitissimis descriptum esse librariis, ut vero sit similius, versus illos ab iis oscitanter omissos esse, quam additos. Denique illa ἀποσπάσματα Baptista Pius, Bononiensis, reperit partim in pervetusto Codice Alexandri Farnesii Principis Augusti, partim in aliis libris scriptis, de quorum fide non est, quod dubitemus. Cetera, quae ad probandam vindicandamque alicujus loci γνησιότητα requiri, supra professus sum, in ipsa locorum tractatione persecuturus sum, quam nunc, servato librorum ordine, aggrediar.

Argon. I, 827-30.

Cardine sub nostro rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris: non illa ruenti

Accessura polo, victam si solvere molem
Juppiter et primae velit omnia reddere massae.

Versus 830. *Juppiter etc.* in omn. Codd. et editt. vett. deest et omnes item *volvere* pro *solvere* habent. In margine Codicis, quem Carrion usurpavit, appictus inveniebatur hic versus, qui a Carrione ad explendam lacunam textu repositus atque ab Is. Vossio, Heinsio et Burmanno defensus, ab illo inde tempore per omnes Editiones propagatus est. Contra Bapt. Pius in antiq. Cod. reperit duo alios versus: *victam si volvere molem senserit, atque gravi totam subsidere motu fata velint, si summa dies subverterit orbem*, quos etiam Aldus, Pium secutus, dedit. Zinzerlingus primus diserte illos versus repudiavit et Carrion nobis versum insinuavit, in ora scilicet Codicis inventum! Quid? ipse Carrion fatetur p. 200. ed 1617. in vulgatis legi versum *Fata velint -- orbem*, sed quod uterque Parisiensis, Aldinus (errat Carrion: Aldus enim habet h. versum) Bononiensis et, quotquot sunt Argentoratensi vetustiores libri, eum ignorent, suspicatur, Engentini esse, qui et alia sua carmina sub castigationis nomine huic poetae inferserit. Haec alia Engentini carmina sunt nimirum illi versus, quos genuinos esse deinceps demonstrabimus! Ipse Carrion tamen de fide versus, quem e margine Codicis in editionem suam transtulit, jure dubitat atque adeo neutrum Valerii esse Jovem lapidem jurat. Eosdem binos versus in ora Edit. Princ.

adscriptos invenit Delamallus, a prudente videlicet homine, qui eorum γνησιότητα perspexerat. Est vero, quod miremur, Vossium, Heinsium et Burmannum, triumviros ingenio et judicio pollentes, ita temere sibi a Carrione imponi passos fuisse, ut versum, quem parum abest, quin ab ipso Carrione cusum esse statuam, non tantum assensu suo approbarent, sed adeo, quo commodiorem ei locum in textu facerent, verbum sanissimum *volvere* corrigerent, neque illos Codicis antiq. versus dignos haberent attenta inspectione accurataque exploratione. Mihi hi versus maxime genuini videntur, iisque repositis loci sententia evadit magis perspicua, et verius, quam illo Carrionis versu, nativae veneres poetae redduntur. Omnia apte coëunt: nam v. *senserit*, quod, quia dubitari possit, quorsum referendum sit, induxisse videtur Delamallum T. I, p. 216., ut hunc versum rejiceret et sequentem modo pro genuino haberet, jungendum est cum pronomine *illa*. Neque mutandum est *volvere*, quod cum delectu posuit, ratione poli habita, qui, soluta massa, ad Orcum se devolvit. Nam pron. *se* hic quoque ex suo more Noster omisit. Vossii correctionem *vinctam* pro *victam* docte refutat Burmannus. Inepte Barthius Advers. XXV, v. 3. correxit *nisi volvere*. Jam cum, ut rem paucis complectar, ille versus *Juppiter etc.* nusquam alibi inventus sit, nisi in ora Cod. Carrionis et magna sit

suspicio, eum a quopiam ad explendam probabiliter lacunam esse factum, hi contra in vetusto Codice a Pio legantur et praeclare ea, quae hic deesse quilibet sentit, resarciant, nonne absurdum est, illum probare et defendere, hos vero velut supposititos respuere? Hic igitur locus in posterum ita erit legendus:

non illa ruenti
Accessura polo, victam si volvere molem
Senserit atque gravi totam subsidere motu
Fata velint, si summa dies subverterit orbem.

Non male Delamallus contulit Lucret. V, v. 93. sq. Ad agnoscendam vero in his versibus ponderosam Val. Flacci brevitatem comparare juvabit tumorem Lucani I, 72. *Sic cum, compage soluta, Secula tot mundi suprema coegerit hora, Antiquum repetens chaos, omnia mixtis Sidera sideribus concurrent: ignea pontum Astra petent: tellus extendere litora nolet, Excutietque fretum; fratri contraria Phoebe Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem Indignata, diem poscet sibi: totaque discors Machina divulsi turbabit foedera mundi:* ubi Bentlejus temere verba *omnia --- concurrent* ὑποβολιμαῖα esse censuit et Ezras de Clercquius in Observatt. p. 9. *obvia mixtis Tartara sideribus concurrent* audacter correxit.

Pergimus ad II, 439. ubi Argonautae, Samothraciam appulsi, Cabirorum mysteriis iniantur:

Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos
Excipit, hospitibus reserans secreta Thyotes.

Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque
Missa mane: sacrisque metum servemus opertis.
Illi sole novo laeti plenique deorum
Considunt transtris.

Hic locus jure pro desperato habebatur. Quoquo enim te vertas, quocunque modo versus *Hactenus* et *Missa mane* etc. hispidos et obscurissimos vel interpretando vel corrigendo juvare iisque lucem affundere enitaris, in incili haerebis fateberisque, nihil sani et, quod omni ex parte satis faciat, posse extricari. Vide mihi Interpretes circa hoc spinetum quantopere aestuarint, et explora eorum sententias et emendationes, ab Harlesio in Notis ad h. l. et a me in Epist. Crit. p. 42. allatas: in nulla te acquiescere posse, fatearis necesse est. Nemo, opinor, erit, cui, loco attente perlecto, non suboleat vasta lacuna. Recte! Et trepidantibus nobis circa hanc voraginem auxilio venit Codex ille Alexandri Farnesii, in quo hic locus a B. Pio ita legebatur:

Hactenus in populos vatem Samothracia ditem
Sola habuit, vetuitque suis arcana colonis
Scire, nec in numero coelestia promere dicta
Jasius voluit pater. At vos numine dextro
Missa manent, sacrisque metum servemus opertis.

Eodem modo hunc locum exhibet Cod. Harles. et Editio Aldina, verbis tantum aliquot variatis. Jam, erudite Lector, quae tibi nunc animo sententia surgit? Censen, hoc esse supple-

mentum librarii seduli et docti, qui illud tam germano antiquitatis colore fucare, sententiarum nexui et concinnitati tam affabre adaptare et dictionis Valerianae virtutibus ornare callide potuerit? Nihilne facis auctoritatem et testimonium Codicis, qui mox alia tibi suppeditabit, quae non sine stuporis sive contumaciae crimine poteris rejicere? Sed non amplius dubitabis, si mecum singula, quae vitiosa sunt et laborant, emaculaveris. Priorem versum ita distingue: *Hactenus in populos:* scilicet eloquar ista mysteria. Ita Apoll. Rhod. I, 919. *Τῶν μὲν ἔτ' οὐ προτέρω μυθήσομαι.* Nec obstat, quod sequitur *sacrisque metum servemus opertis*, nam ita etiam Apollonius mox post illa verba v. 921. *τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν.* Jam poetae erat docere, Samothraciam illis mysteriis inclaruisse prae ceteris terris, illa tamen mysteria arcana esse et Argonautas tantum iis esse initiatos. Hoc fecit poeta illis versibus, quos duo illi Codices c. Aldo suppeditant. Vitiosum videtur *ditem*, quod Pius perperam de Plutone i. e. Axiocerso (v. Schol. ad Apollon. l. c. p. 408. ed. Schaefer.[8]) explicat. Burmannus *vatem* deum esse, inepte

8) De mysteriis Samothraciis ego olim in Excursu ad h. l. disseram, quantum opus est ad hujus loci intelligentiam. Qua in re obscurissima enucleanda suam mihi promisit operam Celeberrimus Boettigerus, quem constat his in rebus totum habitare. Qui de his scripse-

statuit. Vates est sacerdos, mysteriarchus, quem Pius locupletem dici putat, quia ob advenarum confluentiam plurimum lucratus sit. Quod lucrum aliis templorum et sacrorum custodibus contigisse constat; sed Samothraciam adiri a peregrinis interdictum vetitumque erat, quod ipse Val. Flaccus paulo ante v. 435. monuit: *sponte ipse deus tunc asperat undas, Cum vetat infidos -- sua litora tangere nautas.* Idem Pius non male statuit, latere hic nomen sacerdotis. Suspicor, subesse nomen *Thyotem* cum quadam elegantia repetitum, ut scribendus sit versus: *Hactenus in populos: vatem Samothraca Thyotem Sola habuit:* nam *Samothraca* illa insula usitatius dicitur, quam *Samothracia* a poetis juxta ac prosaicis scriptoribus v. c. Livio L. XLV, c. 5 et 6. et v. Heinsius ad Ovid. Met. VI, 455. Facile corrumpi potuit *Thyotem* in *Tiotem, Titem, Ditem.* Versu 2. bene emaculavit Pius *suos -- colonos*, sicut Aldus quoque edidit. Versu 3. *in numero* i. e. carmine cum optimis poetis dixit: de h. formula dicam ad IV, 85. Quaeritur, num intelligendum sit carmen poetae, an sacerdotis, qui versibus oracula edidit, more antiquo et

---

runt, laudantur a Fr. Müntero in Antiquar. Abhandl. p. 187. 88. sed fugiebat diligentissimum virum Jo. Andr. Cnoblauchii Disput. de mysteriis Samothracum ad Apollon. Rhod. I, v. 916. Viteberg. 1704. 4. Est tamen haec disputatio miselli compilatoris opus.

solenni. Posterius intelligendum esse puto. Cod. Harles. *in numerum*; non vero Aldus, ut Harlesius ait. De Jasio s. Jasione res nota: vid. Heynius Excurs. VI, ad Virgil. Aen. III; Creuzerus in Mythol. II, 317. sq. III, 567. sq. IV, 20. et in Meletem. P. I, p. 52. Not. 22. 23. Habet hujus viri commemoratio doctrinae speciem a librario vix exspectandae. Postrema verba varie possunt expediri. Missa dicuntur haec ὄργια φρικτὰ θεῶν, ἀῤῥήτα βροτοῖσιν, (Orpheus Arg. 469. Herm.) quatenus emissa et communicata erant cum Argonautis. Qui de hac locutione exposuerunt, eos commemoravi in Epist Crit. p. 34. ubi adde Oudend. ad Lucan. I, 448. et X, 533. Pro *manent* vero legendum est *monent*: quod verbum hac in re proprium, v. Heinsius ad Ovid. Met. XIII, 216. et quos laudat Ruperti ad Juven. VI, 530. T. II, p. 357. Id autem contigit Argonautis numine dextro et propitio, ὄφρα δαέντες ἀῤῥήτους ἀγανῇσι τελεσφορίῃσι θέμισας Σωότεροι κρυόεσσαν ὑπεὶρ ἅλα ναυτίλλοιντο. Pertinebant enim haec mysteria ad artem nauticam: v. Boettigeri Archaeol. Mus. Heft I, p. 67. Totum igitur locum ita scriberem:

Hactenus in populos: vatem Samothraca Thyotem
Sola habuit, vetuitque suos arcana colonos
Scire, nec in numero caelestia promere dicta
Jasius voluit pater. At vos numine dextro
Missa monent, sacrisque metum servemus opertis.

Cum tres versus librariorum oscitantia textu ex-

o o

o o o

cidissent, non mirum est, alios ad coagmentandas rupti loci partes varia excogitasse, unde tanta lectionis varietas orta est. Videant Viri Docti, quid ego profecerim et num hic versuum contextus carmini sit restituendus. Quodsi negent, illos versus a manu poëtae esse, me velim doceant, qua ratione hic locus sit legendus et expediendus, quo nullus in toto carmine est difficilior et obscurior. Hoc tamen, spero, fatebuntur periti atque ingenui judices, multo majori corrigendi opus esse molimine ad lucem vulgato textui conciliandam, quam receptis versibus illis, quibus versus *Hactenus* etc. et *Missa mane* etc. admodum probabili ratione conjunguntur, praesertim si quis e. v. *ditem* faciliorem exsculpserit lectionem.

Progredimur ad Libr. V, v. 594.

Campesus hic spoliis in tigridis: ille profundo
Incumbens Odrussa mero:

in quo lacunam non tantum Codices testantur, sed quilibet, qui attento animo eum perlegit, sentiat necesse est. Etenim cum Aeetes in recensu ducum sociorum cuivis attribuat aliquid, et memoret, quod ei proprium sit, satis patet, post verba *Campesus hic spoliis in tigridis*, aliquid deesse, quo Campesus prae ceteris insignis sit. Id vero, quod Aeetes de Campeso memorare potuit, suppeditant Pii Codices *in tigridis, incita cursu Flumina, qui et ventos superat celer. Ille etc.*

Cod. Reg. Heins. *incita cursu Fluminaque et ventos superat celer ille profundo*. Vitiosius Burmanni Cod. *spoliis integris, concita cursu incumbens*. Delamalli tres Codd. vulgatam offerebant. Idem denegavit his verbis in textu locum, quem confidenter iis assignamus. Scribendus enim totus locus:

Campesus hic spoliis in tigridis, incita cursu
Flumina qui et ventos superat celer. Ille profundo
Incumbens Odrussa mero.

Perplexa verborum positio refert Val. Flacci dicendi genus, ut alibi probabo. Nihil vero Aeetes de Campeso, qui tigridis exuviis indutus erat, aptius veriusque potuit memorare, quam eum pedum velocitate flumina et ventos antevertere. Haec tam arcto sensus vinculo invicem juncta sunt et a narrationis tenore flagitantur, ut satis mirari nequeam, cur Editores necessarium hoc supplementum praefracte rejecerint duramque in hoc commate lacunam tolerare maluerint. Burmanno quidem non displicuit illud, neque tamen reposuit. In ceteris Interpretibus malim suspicari animi levitatem, qua hunc locum inspiciebant, quam judicii severitatem et constantiam. Pari levitate tractarunt ex eodem Libro v. 585-87. qui vulgo ita leguntur:

Quid Latagum? quid si amnigenam mirere Choaspem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores:
Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis.

Non mirarer, si quis versum tertium pro spurio

habuerit, qui nullo cum praecedentibus vinculo connexus est. Nam pronomen *hic* ad Choaspem referre, qui, licet cruorem biberit equinum, nihilo secius currere vel equitare possit, absurdum est; si ad equum retuleris, non liquet, cur poeta id monuerit, cum nihil praecesserit, quod velocem equi cursum potuerit retardare. In aprico est, hunc locum ex vulgata lectione luxatum esse et sententiam hiscere: nec potuit poeta ita scribere. Codices nihil ferunt auxilii: itaque ingenio reperiunda est medela. Quo autem verbo lateat ulcus, id jam videndum. Hic mirari subit, cur nemo ad vocem *cerne* offenderit, quae locum parum commodum tenet. Possit quidem huc vocari versus 595. *viden alta comantem Pectora et ingenti turbantem pocula barba?* sed obstat, primum anteced. *mirere;* deinde positio Imperativi post tertiam vocem; denique dubito, num *cerne* ea potestate adhiberi possit, qua *ecce*, *en*, si quem attendere et aliquid considerare jubemus. Mihi nullus succurrit locus praeter Lucan. Phars. V, 275.

jam respice canos
Invalidasque manus et inanes cerne lacertos.

Nemo, opinor, si elegantiae sensu praeditus sine cupiditate hunc Lucani locum perlegerit, non sentiet, quam frigidum illud *cerne* sit post *respice*. Burmannus quidem, quem aliquoties cupidius, quam verius adversus alios dispu-

tantem videmus, hic quoque contra Oudendorpium, cui primum hic vitium suboluit, hujus vocis patrocinium suscepit nosque ablegavit ad notam ad Nemesiani Ecl. I, 34. ubi ingenti locorum farragine talium imperativorum in excitanda attentione repetitionem probare enisus est. Aliquot subjiciam loca, ut Lectores ipsi judicare queant, quo modo rem egerit eruditissimus vir. Nemesiani locus ita se habet: *Adspice, ut, ecce, procul decerpant gramina tauri.* Calpurn. Ecl. I, 4. *Cernis, ut, ecce pater* etc. Ovid. Met. II, 92. *Adspice vultus, ecce, meos* et v. 283. *tostos, en, adspice vultus.* XII, 444. *Signa vides, adparet adhuc vetus, ecce, cicatrix.* Acute monet, prius verbum oculorum modo in rem vel locum conjectionem notare, sed illud *ecce, en,* propius et diligentius considerare jubere. Sed, vel me tacente, patet, haec loca diversae prorsus esse naturae neque in Lucani locum quadrare. Burmannus id, in quo cardo rei vertitur, probare supersedit, nimirum imperativum *cerne* idem esse ac sua natura esse posse, quod *ecce, en*, ad excitandam attentionem. Id vero dubito. Nam *cernere* gr. κρίνειν pr. est distinguere vel sensu aliquo vel mente; inde aliquid oculorum ope considerare, videre, neque imperativus hujus verbi vim adverbii induere potest. Non prius ab hac desistam sententia, quam disertis scriptorum locis convictus. Ita etiam Graeci ὅρα et βλέπε usu distinguere solent, v. Dorville ad Cha-

rit. p. 318. ed. Lips. Accedit, quod in Lucano vix intelligas *inanes lacertos* tam simpliciter dictos. Semper aliquid additur, quo intelligatur, cur quidpiam vocetur *inane*, nisi id ex praecedentibus vel sequentibus conjici possit. Vt igitur intelligeres, lacertos non ut ante torosos esse, sed macilentos, adjiciendum erat id, quod Oudendorpius divinavit, qui egregie correxit *inanes carne lacertos.* Burmannus, Oudendorpio ingenii laudem obtrectans, provocat ad Ovid. Met. XV, 229. *Fletque Milon senior, cum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos;* quem a Lucano expressum esse censet. Sed hic locus nequaquam vulgatam in Lucano tuetur, sed eam potius falsitatis arguit confirmatque nostram sententiam, qua negamus *inanes lacertos* sine additamento dici posse. Sed redeamus ad Val. Flacci locum, in quo falsum esse *cerne* itidem contendimus. Idque evincit narrationis series et indoles. Quis enim serio sibi persuadeat, Choaspem, qui mensae Aeetis magno cratere Jasonem lacessentis, (v. 572.) accumberet, non vinum, sed equinum cruorem potasse? Aeetes, ex quo Jason reges, qui aderant, quaesierat, (v. 578.) singulum quemque secundum mores designat, quos domi cum suo populo sequi atque observare consuescat. Choaspes fuit equimulgus. Jam ut poetae manus resti-

tuatur, h. locum corrige mecum atque interpunge:

Quid Latagum? quid si amnigenam mirere Choaspem
Bellatoris equi potantem carne cruorem?
Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis.

Proclivis fuit librariorum error in utraque voce describenda. Omni autem dubitatione meam correctionem eximit seq. versus, qui abruptus alias divulsusque, nunc arctissimo vinculo antecedentibus annectitur, hoc sensu: quid si mirere Choaspem, qui cruorem e carne, vena equi potat, exsugit, nec tamen hic n. equus, licet sanguine privatus, segnior ibit immissis habenis. Respicit poeta morem populorum Scythiae et Thraciae, qui equum, quo vehuntur, vulnerare et e carne cruorem sugere consuescunt. Confer Plin. H. Nat. XVIII, c. 24. ed. Franz. *Sarmatarum quoque gentes hac maxime pulte aluntur, et cruda etiam farina, equino lacte vel sanguine e cruris venis admixto.* Virgil Georg. III, 463.

atque in deserta Getarum
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

ad q. locum v. de la Cerda T. I, p. 460. De hoc cruoris equini potu explicandus Lucanus III, v. 283.

Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes, quo fugit, equo, volucresque Geloni.

Martialis de Spectac. III, v. 4.

Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Haemo,
Venit et epoto Sarmata pastus equo.

Claudian. in Rufin. I, 311.

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

et Sidonius Apollinaris Carm. II, v. 38.

Pectore vix alitur quisquam, sed ab ubere tractus,
Plus potat per vulnus equum; sic lacte relicto
Virtutem gens tota bibit.

De Concanis, Cantrabriae populo, idem tradit Sil. Ital. III, 360.

Nec qui Massageten monstrans feritate parentem
Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.

ubi Ruperti T. I, p. 217. diligenter eos citavit, qui de hac re exposuerunt. Sed de hoc loco hactenus; impense laetabor, si correctionem meam VV. DD. probatam intellexero.

Liber Argon. VII, binis in locis aliquot augendus est versibus; in utroque tamen loco meae audaciae exemplum jam praeivit Delamallus. Prior v. 184. vulgo ita legitur:

Nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
Impediat ne coepta time; quin audeat opto:
Continuo transibit amor, cantuque trilingui
Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,
Amplexumque pati. Volucrem tunc adspicit Irin
Festinamque jubet monitis parere Diones.

Omnes Editores gravissimum, quo hic locus affectus est, vulnus senserunt et variis durisque illud correctionibus sanare maluerunt, quam ut contextum Codicum Pomponii Laeti restituerent. In his, notante Pio, hic locus ita erat exaratus:

Ipsam flammiferos cogam compescere tauros,
Atque novam segetem ardenti decidere ferro;
Pervigilem somno claudentem victa draconem
Lumina conspicies. Laeta est Juno; inde resurgit,
Amplexuque petit. Volucrem tunc etc.

Juno nimirum v. 153. Veneris opem imploraverat ad inconstantiam Medeae animo evellendam: *I, precor atque istum, quo me frustratur, amorem Vince precor:* v. 162. Venus Junonis precibus adnuit et se effecturam promittit, ut *foedera Aesonii petat ipsa viri, metuatque morari:* v. 178. nihilque a Junone postulat, quam ut per Irim Jasonem in luco adesse jubeat. Hecaten vero, cujus auxilio fortasse Medea Junonis et Veneris consiliis resistere possit, eo adigere promittit Venus jocosa irrisione, ut, si suis consiliis obesse sustineat, ipsa cantu trilingui perficiat ea, quae Medea pro Jasone peragere deberet. Juno hac promta Veneris voluntate laetatur eamque amplectitur. En praeclarum loci sensum! Quid vero Interpretes, qui illos versus spernebant? Pium non puduit verba *amplexumque pati* de coitu explicare, ad quem cum Jasone ineundum Hecaten sit coactura Venus,

probantibus Burmanno et Wagnero. Verissime Delamallus T. III, p. 235. *En effet, cet* amplexumque pati, *que Burmann s'obstine aussi à défendre, serait d'une inconvenançe révoltante. Comment supposer qu'un poète du siecle de Tacite eût pu se permettre de faire dire a Venus: „Je forcerai la déesse à souffrir les embrassements d'un homme.“* Propugnat horum versuum γνησιότητα etiam Codd. auctoritas. Nam omn. Codd. Heinsii et Delamall. Bon. Vatic. Cod. Coki, quod Burmann. non notavit, *amplexuque petit:* ita etiam Edit. Pr. et eodem ducunt Carrion. Cod. *amplexuque peti* et Cod. Burmann. *amplexuque petat.* Pius e vet. Cod. enotavit *amplexuque pati*, et edit. Bon. 1498. primum exhibet *amplexumque pati*, et hinc variant ceterae editiones. Deest etiam, absentibus his versibus, subjectum, quod v. *adspicit* postulat: quare Burmannus in partic. *nunc* latere autumabat *Juno:* quam conjecturam Wagnerus probavit. Iure hoc ἀπόσπασμα textu reposuit Delamallus.

Idem complevit lacunam ejusdem libri v. 344. meliori tamen voluntate, quam successu. Medea, capto moriendi consilio, stetit et sese mirata furentem est: v. 337. quia temere illud consilium ceperit: nam, se pereunte, Jason quoque periit: *Hunc quoque*, inquit v. 341., *qui nunc est primaevus, Jasona nescis Morte perire tua, qui te nunc invocat unam, Qui rogat, et nostro*

quem primum in litore vidi? Iam vero se monologo ad patrem convertit:

Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras?
Tùn' poteras istis juvenem non perdere monstris
Protenus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.

Plerique Codd. *Tunc poteratque istis.* Carrionis Cod. *Tunc poterasque istis.* Pius *Tunc puer atque istis*, unde recte emendavit *Tunc poteras istis:* Idem vero in Cod. Alex. Farn. totum hunc locum ita invenit scriptum:

Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras
Aeta parens, si poscenti sua fulva negasses
Vellera, sed patrium vetuisses Phasin adire,
Tunc poteras istis juvenem, tunc perdere monstris.

Eosdem versus in Cod. Regio reperit Heinsius, ubi tantum pro *sed patrium* legebatur *si patrium*, quod verius est. Sed Heinsius eos nulla dignatus est attentione, et *Tunc* mutavit in *Tun' poteras*, quod Burmannus et Harlesius secuti sunt, etsi illi hi versus a manu Flacci esse videbantur, et optime sensum connectere. Sed offendit ad illud *Aeta* bisyllabum: nam Pius male tuetur illud loco Ovidii Epist. VI, 103. cf. Dukerus ad Florum III, 5, 1. p. 427. Quare emendat hunc locum:

Cur tibi fallaci placuit committere dextras
Arte pater? si poscenti tua fulva negasses
Vellera etc.

atque ita hunc locum recepit Delamallus, retento tamen pronomine *sua*, quod Burmannus

temere in *tua* mutaverat: sicut Burmannus, lectore non monito, *committere* pro *conjungere* scripsit: quod merum ἁμάρτημα μνημονικὸν esse suspicor. Contra Burmannum surrexit Beckius in Nov. Biblioth. Philol. Vol. I, Fasc. 2. p. 269. qui miratur, quomodo Burmannus hos duo versus pro Valerianis habere potuerit. Acute vidit erudissimus Vir, orationem, ut vulgo scribatur, sibi non constare, et Vocativum personae requiri, ad quam Medea orationem dirigat, neque commode dici posse: *Tunc poteras non perdere.* Quare cum Balbo et Vossio legit: *Tunc, pater, atque istis,* atque deleta post *dextras* interrogandi nota, totum locum ita constituit:

Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras
Tunc, pater, atque istis juvenem non perdere monstris
Protenus?

Wagnerus, Beckii auctoritatem secutus, hanc correctionem textui intulit: quae tamen, quod neuter monuit, in edit. Bonon. jam expressa est, eamque adjuvat non tam lectio Cod. Carr. *tunc poterasque*, quam potius Cod. Burm. *tunc poteratque*, cui nunc tres Codd. Delam. accedunt. At enim vero non possum, quin dissentiam, et dissentientem juvenem, spero, aequo feret animo Vir aetate, meritis atque humanitate conspicuus. Primum argumentum contra horum versuum γνησιότητα, quod e sensu suo

repetit Vir Celeberrimus, non moror, quoniam anceps est et varium sensus nostri judicium. Etenim mihi, quantum quidem Valerium meum novi, nihil non in his versibus redolere videtur ejus ingenium et orationis elegantiam. Gravius est illud argumentum, quod ex orationis indole et loci sententia ducitur. Iam vero nemo negabit, vulgato orationis contextui intolerabilem rigorem inesse: quae sermonis durities vereor ne istà Balbi correctione augeatur. Post *atque* enim repetenda sunt verba *cur placuit tibi*, et sine vi verba *Tunc pater* priorem sententiam finiunt, cui adeo sine illis versibus aliquid deesse videtur. Quid vero est, quod, receptis illis, in loci sensu te offendere possit? Cur, inquit Medea, tibi, pater, prius placuit fallaces dextras conjungere, foedus cum Jasone inire eumque, promissis velleribus, ad debellandum Persen incitare? et nunc, debellato Perse, eum novis periculis objicere, priusquam vellus accipiat? Haec est perfidia. Si statim poscenti sua, ipsi ob Phrixum cognationis jure debita, vellera negasses et ad nostram terram navibus appellere vetuisses: tunc poteras eum istis monstris protenus perdere. Aptissimus, si quid video, sensus! Recte igitur Burmannus hos versus pro genuinis et ad textus integritatem necessariis habuit. Sed sine causa *pater* pro *parens* scripsit, quod v. 415. defenditur; displicent quoque v. *fallaci-arte:* nam

exquisitius *fallaces-dextras* dictum est; denique vox deesse videtur, quae respondeat repetitae in seqq. particulae *tunc*. Quare suspicor, scripsisse Valerium:

Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras
Ante, parens? si poscenti sua fulva negasses
Vellera, si patrium vetuisses Phasin adire;
Tunc poteras istis juvenem, tunc perdere monstris
Protenus: ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam:

Particula *ante* corrumpebatur vel librarii errore vel nomine *Aeeta*, quod fortasse glossema verbi *parens* margini allitum erat, e textu extrudebatur. Notat vero *ante* h. l. *prius*, ut V, 216. *Territat ante monens semper deus;* IV, 475. *quae nunc premis, ira Tonantis Ante, precor;* et 429. *nec prodita pestis Ante, sed in mediis* etc. Cur, inquit Medea, prius Jasoni fidem dedisti et vellus promisisti? Si eum vellus petentem ab initio vi repulisses, et ille rem vi agressus esset, licuisset tibi eum perdere, non vero nunc promissis delinitum et deceptum. In repetitis verbis *si* et *tunc* magnam vim et elegantiam esse, nemo non sentit.

Haec habui, quae de hoc loco dicerem; restat nunc ultimus itemque difficillimus Libr. VIII. qui post v. 135. a Pio in aliquot Codicibus repertus est. Ipse Pius hos XVI. versus spurios habuit, et in eorum rejectione conspirant omnes Editores, etsi nullus eorum, praeter

Pium, judicii sui causas explicuit. Non vereor cum illis sententiarum facere divortium et eorum judicio meum confidenter opponere. Ego enim in his versibus agnosco ponderosam illam orationis elegantiam et brevitatem, qua Valerius Flaccus ceteros Virgilii imitatores, Lucanum dico, Silium Italicum, Statium, alios, antecellit neque ulla foedae scabritiei ramenta seriorisque aevi vestigia in singulis deprehendo verbis, quibus se prodere solet monachorum industria. Testor omnes, qui Valerianam dictionem penitus cognitam habent, eosque rogo, ut unam tantum itemque alteram vocem notent, quae me refellat et erroris arguat. Sed nec hoc, quod hi versus poetae nostri ingenium parum spirare viderentur, VV. DD. induxisse videtur, ut eos spernerent, quam potius, quod, quorsum illi referendi cuique versui adnectendi essent, non intelligerent. Fecimus hoc supra et post v. 139. eos inseruimus, uti par erat. Neque ei, qui serio ea perpenderit, quae supra in universum de librariorum erroribus, et nominatim de eorum negligentia in describendis Val. Flacci Argonauticis disserui et exemplis illustravi, mirationem faciet, quod tam insignis versuum pars textu excidere et in aliquot Codicibus inepto prorsus loco adnecti potuerit. Pius vero hos versus supervacaneos censuit. Etsi hoc argumentum nullius plane est momenti: quot enim versus ex hac judicii norma optimis carminibus expungendi et

in morboniam mittendi essent; hoc etiam loco falsissimum est. Pius enim eos ideo abesse posse putat, quod Aeetae comploratio infra denuo recurrat. Somnians haec scripsit Vir doctus: nam nusquam per totum librum Aeetes querelas fundens a poeta inducitur. Quid? hoc ipsum, quod pater Medeae nusquam, absente hac carminis parte, de filiae fuga queritur, me impellit, ut hoc *ἀπόσπασμα* genuinum et ad contextum maxime necessarium esse statuam. Etenim manca, si quid sentio, atque imperfecta esset totius rei descriptio, si de Aeete nihil esset monitum, nisi eum senectae immemorem ad litus evolasse: v. 137. Qua propter inducor, ut credam, Valerium Flaccum, sicut Medeae matrem longa complorantem oratione nobis exhibuerit, (v. 116-186.) ita patrem quoque querentem et quid consilii capiendum sit, edicentem hoc in libro repraesentasse. Haec autem, quae intelligentissimus quisque desiderabit, continent isti, de quibus agitur, versus. Vide mihi porro sententiarum seriem et nexum. Cum nuntius de Medeae fuga ad Aeetae aures pervenisset, omnes, qui in regis aula erant, tumultu excitati instructique armis, ad litus cum Absyrto, Aeetae filio, rapido cursu properant, ita ut litus *bello* i. e. viris armatis (v. VII, 627. ibique Wagner. p. 255.) compleretur, quos etiam Aeetes, senectae immemor, pone sequitur. Sed nequidquam litus milite

oppletur: nam Argo fugit immissis habenis, v. 139. In qua cum Medeam aufugientem videret Aeetes et de ejus reditu desperaret, occidit, humi prosternitur, ut moerentes facere assolent, querelisque, quae in summa brevitate animnm gravi perculsum doloris sensu spirant, profusis, Absyrtum, filium jubet, classe ad revocandam sororem parata, Argonautas persequi. Qui dum patris imperata facit, Argonautae altum petunt mare, iisque Erginus, gubernator, suadet, ut, relicto periculoso per Cyaneas rupes cursu, recta ad Istri ostia tendant, qui ipsis tutiorem sit praebiturus viam. Opera ab utraque parte sic fervente, Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas, (v. 156.) et tenerrimorum plenissima affectuum suos questus effabatur. Post eam complorandi partes excipiunt Medeae soror famulaeque, v. 187. Haec omnia qui neget arctissimo sensus vinculo cohaerere, meam sententiam potius caluminari velle videtur, quam serio a me dissentire.

Si quis tamen est, quem offendat, quod inter Aeetae et Idyiae complorationes ponatur regis edictum et Ergini de itinere monitum, is velim comparet Libr. III, v. 290., ubi Jason post longas de Cyzici, hospitis et amici, caede querelas, v. 311. socios ita alloquitur:

Vos, age, funereas ad litora volvite silvas,
Et socios lustrate rogos; date debita caesis
Munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.

et post haec Clite, Cyzici conjux, lacrimari statim incipit v. 314.

Parte alia Clite, laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum,

Fatur et haec:

qui locus simul docet, Aeetae complorantis partes nostro loco non commode abesse posse.

Porro, ne quid callide dissimulasse arguar, fatendum est, quatuor extremis hujus loci versibus contrarium videri v. 193. ubi Erginus longa oratione -- v. 210. Argonautis denuo suadet, ut, evitatis Cyanearum rupium periculis, Istrum petant, qui eos flumine certo proferat inque aliud reddat mare, v. 206. quod jam v. 155. *Et securus, ait, nobis et tutior Ister*, suaserat. Igitur hoc suspectos reddere possit saltem illos quatuor versus. Sed ego nequaquam hac re de mea dejicior sententia. Namqne illud *Et securus - Ister* v. 155. Erginus statim post fugam capessitam dixerat: quod monitum quum Argonautae susque deque habuissent et contenti vellere capto, (v. 194.) nec via quae superesset, nec quae fortuna, viderent, Erginus, Cyaneis propius jam factus, v. 196. *Crastina namque dies trucis ad confinia Ponti Cyaneasque vocat.)* eos increpat, levitatis arguit et Istrum petendum esse, iterum graviusque monet. Quae increpatio ne locum quidem habere posset, nisi

prius jam Argonautas admonuisset. Itaque tantum abest, ut hic locus illos versus suspectos faciat, ut contra eorum γνησιότητα et necessitatem stabiliat et evincat.

Nec magis obstant versui 149. *Vndique selectam pubem, jam classe parata, Et nostro da vela mari*, versus 277-279.

Absyrtus subita praeceps cum classe parentis
Advehitur, profugis infestam lampada Grajis
Concutiens diramque premens clamore sororem.

et v. 303.

Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quaeque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantum dejecta suis a montibus arbor,
(Quid dolor et veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis jam distat aquis.

Nam patet, Val. Flaccum hic licentia poetica usum esse. Incredibile enim est, uno die naves illas esse fabricatas. Quare nescit Burmannus, an non magis poeticum fuisset, si Noster dei alicujus munere arbores in naves subito mutatas finxisset, quam eas hominum iratorum manu tam celeriter factas esse; sicut Florus II, 2, §. 7. *ut non arte factae, sed quodam munere deorum conversae in naves atque mutatae arbores viderentur.* Sed talia in poetis non sunt ad vivum resecanda. Val. Flaccus hic celeritatem voluit notare, qua Absyrtus iter maritimum ingressus et Argonautas assecutus esset. Neque adeo,

improbabile est, classem jam dudum exstructam in portu stetisse paratam: vide', quae de hac re Schraderus monuit ad Mus. p. 275. Sed verba *jam classe parata* commode explicari possunt: classe statim, raptim, celeriter parata; quam vim part. *jam* ad I, 738. illustravi. Et fac, haec loca vere sibi adversari: nullum tamen inde spuriae illorum versuum originis argumentum duci potest. Nam in optimis scriptoribus et poetis ejusmodi rerum repugnantiae passim occurrunt: e Virgilio notavit jam Servius ad Ecl. VI, 74. et Aen. VI, 616. et alia exempla collegerunt Heinsius ad Sabini Ep. I, v. 33. Ouwens Noct. Hag. L. I, c. 3. et L. III, c. 5. et Spohnius meus in Comment. de extr. Odyss. parte p. 47. Not. 1. Vnum afferam exemplum e Val. Flacci Argon. VI. ubi copias, quae Persae, Aeetae fratri, auxilio venerant, recenset. Etsi v. 66. narrat, Dathin Gangaridum ducem, quia rex eorum Daraps, Achaemeniae gravior de vulnere pugnae, (v. 65.) exercitui praeesse nequierit, in bellum missum esse et Darapem domi mansisse, nihilo secius tamen v. 572. Daraps occurrit; ad quam repugnantiam tollendam Wagnerus p. 214. *Dathis* reponere vult, non animadvertens, metrum huic correctioni repugnare. Sed poeta memoria lapsus est et abstinenda manus emendatrix, ut in simili loco Argon. V, 48. ubi plura olim dabo.

Haec igitur loca nihil probant adversus genuinam illorum versuum originem, quos praeterea etiam particula *adhuc* v. 156. defendit eorumque necessitatem declarat. Haec enim rei alicujus continuationem indicat et docet, quaedam, antequam mater queri inceperit, praecessisse, quibus demum finitis suos de Medeae fuga sit exorsa questus. Nequaquam vero referri potest ad v. 136-139. Idcirco non dubium est, quin haec particula Aeetae complorationem ejusque mandata respiciat. Luxatam hic esse orationem, absentibus illis versibus, probe jam Burmannus intellexit, qui ideo correxit *ad hoc* et Wagnerus *ad haec*, scilicet quae audiverat et viderat mater: quo tamen nihil proficitur. Wagnerus itidem nexus restituendi causa, majori molimine ex Apollon. Rh. III, 243. *Idyia* correxit textuque audacter reposuit, Heinsii ad Ovid. Heroid. XVII, 232. exemplum secutus: cf. van Leunepii Animadv. ad Ovid. Heroid. p. 273. 74. Delamallus hanc correctionem secure servavit et propagavit, quam jure meritoque textis expulisse nobis videmur. Nam praeterquam quod metrum hujus vocis aliquam offerat difficultatem, dictu etiam difficile est, qui factum sit, ut, si vere hoc nomen librariorum stupor extruserit, ne unus quidem Codex obscura saltem corruptionis vestigia prodat: nam ad unum omnes voculam *adhuc* integram incorruptamque praestant. Quid multa? si XVI. illos versus,

suo tandem repositos loco, cum narrationis serie copulamus, nemo negabit, hanc particulam abruptum alioquin orationis filum firmiter annectere et, fulcri instar, verum loci tenorem justamque sententiarum concinnitatem instaurare.

Jam diligenter pensitatis singularum rerum momentis, nulla animo meo restat dubitatio, quin illi omnes versus, quorum γνησιότητα hac in Dissertatione vindicare enisi sumus, digni sint, quibus tandem ad restituendam carminis integritatem suus assignetur locus. Si qui tamen sint, qui secus statuant, (quorum non multos fore, praesaga mente auguror;) eos enixe rogo, ut non nisi, hoc poemate decies perlecto, suam dicant sententiam, meque, qua meliori ratione istae lacunae expleri queant, justis usi argumentis perspicue accurateque doceant. Nam etsi ego non is sum, qui me errandi facultate immunem esse existimem, aliorumque judicia, idoneis suffulta rationibus, superciliose et mihi soli plaudens spernam, tamen eorum, quibus poeta meus ex parte tantum et animi causa lectus innotuit, sententiam, sola auctoritate prolatam, silentio praeteribo.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 8. Not. in Lucretii versu leg. *nigras.*

Pag. 24. Not. leg. *quorum regio.*

Pag. 33. Not. leg. sed Georg. III, 241. *vorticibus.*

Pag. 37. Not leg. Quid enim hoc *est*, pro *hoc et.*

Pag. 48. Not. leg. *tutela navis.*

Pag. 55. Manifesta glossemata in Suetonio sunt Calig. c. 8. *actorum-et* et c. 11. *serpentis id genus*, quae Editores recentiores omittere oportebat.

Pag. 60. lin. 10. dele Num. 121. de quo versu, repetita lectione, aliter statuere coepi p. 66. Notae 1. adde hoc: hac genitivi forma probatur genuina origo extremae partis Virgil. Georg. IV. quam Heynius impugnavit. Praeclare eam vindicavit J. H. Vossius p. 919. seqq. sed ad probandam latinitatem, quam Heynius cum Schradero suspectam reddidit, potuisset urguere v. 564. *Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:* quae ultima vox docet, hanc partem esse compositam ante senescentis Augusti aetatem neque eam referendam esse cum Heynio in distichorum et tetrastichorum numerum, quae in Virgilium conscripta magno numero in Catalectis inveniuntur.

P. 69. Not. 3. addi potest Theocrit. Idyll. VI, v, 41. quem Schneiderus in Biblioth. Philol. T. I, p. 127. ex Idyll, X, 16. huc venisse acute suspicatur.

Pag. 89. lin. 22. lege *audacia* pro *audicia.*

Pag. 104. in Virgilii loco leg. *deripit ensem.*

Pag. 108. lin. 10. lege *tractationem.*

Pag. 113. de loco Luciani vide Sturzii Fragm. Hellanici p. 123. unde haec sumsi.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius,

Argonauticon liber octavus

Misnia 1818
A.lat.a. 2117
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10243027-1